







5220

A. C. Lorry

DE LINGVA


Quà maximum est

MORBORVM ACVTORVM SIGNVM.

Opus, in re Medica, noui argumenti.

Authore

PROTHO CASVLANO SENENSI.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Matthæum Smitz,

ANNO M. DC. XXVI

CLARISSIMO, VIRTVTE, DOCTRINA, EXPERIENTIA præstantissimo viro,

D. IOHANNI DANIELIS, MEDICINAE

Doctori, &c. fautori & amico singulari.

NOn actum modo verum etiam nugas agere merito videar, si hoc loco Medicæ artis laudes vel delibare saltim velim. Illud vnum sufficit, quod quũ post animę salutem nihil charius

rius nobis, nihil preciosius sit corporis sanitate; huic tam conseruandæ quam restituendæ omnis ars illa vnice destinata sit, quum Iurisprudentia fortunarum tantum seu facultatum suscipiat patrocinium. Absit vero vt hic quidquam de præclarissimarum scientiarum seu artium prærogatiua disputem : hoc tantum dico, non minus dignos laude sua & præmio esse qui Artem Medicam quam qui Iuris scientiam scriptis suis illustrant: eos præsertim qui noui aliquid, quod tamen so-

lidis rationibus (ſine quibus Medico , vt Iuriſperito ſine Legibus loqui turpe eſt) nitatur, altiori animi indagine proferunt, & ad bonum publicum conferre non grauantur.

Ex quo genere quum harum rerum intelligentes præſentem libellum eſſe mihi perſuaſiſſent; facile me adduci paſſus ſum , vt quod antea in nonnullis eiuſmodi libellis feceram, in hoc quoque facerem , eumque correctiorem noſtratibus alijſque arris huius præſtantiſſimæ ſtudioſis communicarem.

Ne vero vſitatum morem Opuſcula eiuſmodi patrono alicui beneuolenti & quæ hic tractãtur rerum perito inſcribendi negligerem: viſum mihi fuit hoc ipſum ad Te deferre, tuoque conſecrare nomini: cuius eximiam in hac Arte ſcientiam à plurimis commendari audiui: eoque Te potiſſimum nouo huic fetui & benignum patronum & æquum Iudicem deligendum putaui, Simul reuouare volui quæ mihi cum patre tuo celebris nominis Medico, interceſſit amicitiæ memoriam.

am: quam Tu, pro ſingulari tua humanitate, quaſi manu traditam accipere & continuare erga eum non grauaberis, qui eſt eritque quoad vixerit,

T^æ^ Humanitati
ad quæuis ſeruitia
addictiſsimus,

MATTHAEVS Smitz.

AD CANDIDOS LECTORES.

MAGNVM *illum Medicinæ parentem Hippocratem Coum, quem impios laudare nefas est, prima artis semina iecisse, omnibus compertum est: quæ deinceps fertili & bene culto ingenij agro excipiens Galenus, genere Asiaticus ex Pergamo, quondam Græcorum colonia, ita laboribus & industria excoluit, vt in ramosam, patulam, & magnam arborem, Medicinam extulerit: sub cuius salubri & amæna vmbra felices ingeniosorum hominum animæ posthac recubarent, ita tamen opipare eam aluit, vt ramosam quandam luxiriem succrescere passus sit, sic enim appello medicas, philosophicasque altercationes; non illas* qui-

quidem ſuperuacuas, & inutiles, quas eï ignorantia, ignauia, procacia, impudentia & cauilloſa ſectariorum quorundam im- portunitas extorſit, ſed quas interdum negligere debuiſſet, nec ïjs, diſſerendo, au- toritatem dare. Longo deinceps ſeculorum interuallo Auicēna ex Arabia acerrimi vir ingenij, & Galeni interpres illuſtris hanc amputauit luxuriem, ramis adaquatis de- tonſiſque. & arborem feracem & compoſi- tam reddidit; illud tamen aſpernatus eſſe videtur, vt, ſicubi in hoc vaſtiſsimo trunco germen aliquod pullularet, in ſpem perfe- cti rami non enutriuerit induſtria, cultura fomentiſque adhibitis. Quod ante a præſti- terat diuiniſsimus Galenus: in educando eo ramo, qui ad doctrinam de pulſibus per- tinet; & multo poſt Actuarius filius Zac- cariæ Vir Græca & Arabica lingua inſtru- ctus, Græcus tamen ſcriptor, qui cum vi- deret hanc vaſtam arborem inoculari ger- mine doctrinæ de vrinis; quem multis ante ſeculis Theophilus tenuiter fouerat, ad- mota manu & alimonia, in præcraſſum ra- mum educauit: quantus nimirum Tracta-

tus

tus est, quem pulcherrimo ordine munitum, de vrinis edidit. Bernardus Gordonius Medicinæ Doctor, & Professor per 20. annos in Academia Montispessulana: vixit autem Anno 1504. Capite 19. de passionibus linguæ in libro suo quẽ edidit, de AEgritudine omnium a vertice ad calcem obiter tantum meminit. Subodoratus sum & ipse (quamquam ingenio & doctrina Actuario non componendus) in hoc vberi trunco subnasci nescio quem oculum de doctrina linguæ, vt signo quodam acutorum morborum; confestim industria mea, qualis qualis est, tentaui fouere eam; & consilio communicato cum sapientissimis medicis, & præsertim cum Excellentissimo Iulio Macino Præceptore semper venerando, perstiti in hac longarum elucubrationum cultura; qua si quid profeci, si huic ramali prouentum dedi, si hanc patulam, & proceram medicinæ plantam adauxi, tuum esto, candidissime Lector, iudicium: Illud certe ingenue fateri possum, nullius mihi antea insitoris in hac agricolatione præiuisse serram, sed primum ingressum

esse

esse viam (absit verbo inuidiæ fascinum.) sub altissimis sapientiæ magistris Hippocrate, & Galeno, qui non solum hanc subnascentem gemmam mihi subindicarunt; qui deinde alimenta huic germini instillans, in non mediocrem ramum enutriui, qui vtrum vmbram facturus sit seris nepotibus, qui sub hac arbore apricari voluerint; &, vt euidentius dicam, vtrum liber habiturus sit genium, & victurus, res in incerto est. pollicetur certe, si non aliud, diuturnam vitam, argumenti, quo sub arratus est, non odiosa nouitas. Quam ingenij mei, licet exigui longæuitatem si largiatur mihi Deus Immortalis (vti spes me fortasse non vana nutrit) consolabor animum ex orbitate mærentem, & futura magis quam præsentia spectantem; quando, vt re ipsa expertus sum, viuentium hominum aut virtutis, aut speciminis eius lumen, maligna despectus vmbra, ex opaco inuidiæ comitatur.

INDEX OMNIVM CAPITVM huius operis per singulos Libros distributus.

LIBRI PRIMI.

Ne-

LIBRI SECVNDI.

De Lin-

LIBRI TERTII.

acerba

LIBER QVARTVS.

De causis

LIBRI QVINTI.

DE

DE LINGVA, QVA MAXIMVM EST MORBORVM ACVTORVM SIGNVM.

Authore

PROTHO CASVLANO SENENSI.

LIBER PRIMVS.

Linguam esse tertium, & maximum morborum acutorum signum.

CAPVT PRIMVM.

DVOBVS indicijs cognoscendi morbos, quæ maxima esse dixit Gal. 2. *ad Glauc. Pulsum* nempè, & *Vrinam*, quod is cordis, & arteriarum dispositionem,

hæc vero hepatis, & venarum constitutionem denuntient, Tertium adijciendum videtur proxime validum, quod proposuit Hippoc. *lib. sexto Epid. Com.* 5. dum dixit *linguam* indicare cuiusmodi sit lotium. lingua enim sicut lotium suorum affectiones detegit. & paulo infra idem Hippoc. *lingua extentionibus concolor, quapropter ex his succos cognoscimus.* Equidē, de iudicio, quod à pulsu sumitur, ita erudita, & methodica tractatione, ita ingenij dexteritate, & laboris tolerantia disseruit Gal. vt omnibus non dicam operam, sed spem operæ de pulsibus agendi, pręripuerit: ita & ea, quę tironibus conueniunt, vix initiatis ad doctrinam Pulsus, & quæ veteranis iam multos annos in ea militantibus, persecutus est, vt adiici quippiam operi non possit, ne dicam desiderio, quatuor tomis materiam hāc abunde complectentibus, Altero de *differentijs pulsuum*, altero de *Cognoscendis*, Tertio *de Causis*, Quarto *de Præsagio ex pulsibus sumendo* pręter hos libros quos tyronibus dicauit, & synopsim, seu epitomen. XVI. librorū. De altera vero nota maxima non videtur fuisse Galeno cordi exacta disputatio, quippe qui solidum aliquem & integrum librum non fecit, sed sparsim tantum, & obiter de iis disseruit, quantum conueniens iudicabat ad persuadendum lector

super

ſuper aliqua affectione, & quantum quiſpiam exiſtimaret cognitionem de vrinis adiuuare curationem humanorum morborum: perfectam vero, & methodo, & ordine digeſtam diſciplinam neglexiſſe videtur: nec enim liber DE VRINIS Galeno aſcriptus, & inſertus quartæ claſſi (Ioſepho Structio Polono interprete) Galeni liber cenſendus eſt, cum in recenſu librorum ipſius non ponatur, ſed farrago quædam concinnata ab aliquo ex ijs, quæ Theophilus, & Aetius de vrinis ſcripſerunt, Quare Actuarius Græcorum fere omnium nouiſſimus poſt Alex. & Theoph. videns ſcientiam de vrinis velut maximam cauſam, quæ tantum fundamentis ſuis extaret, ſuſcepit laborem, pro viribus exædificandi ad tectum vſque diſputationem iſtam, quam quadripartito complexus eſt volumine, quorum primum eſt DE DIFFERENTIIS, Secundum DE IVDICIIS, Tertium DE CAVSIS, Quartum DE PROVIDENTIA EX VRINIS CAPTANDA, in qua quantum aliis præſtiterit, poſteritatis iudicio indicatum eſt, quæ ſummopere hanc tractationem laudat & amplexatur. De magno autem ſigno, quod ex lingua capitur, nemo, quod nouerim, artem tentauit ſcribere: idcirco re-

digens in illam ea, quæ Hippoc. & Gal. tamquam fundamenta præiecere, & artificiosa methodo instituens primus omnium exactam doctrinam facere conor; fisus omnium bonorum largitori Deo, qui ausus meos secundet.

Linguæ significationem necessariam esse, aduersus eos, qui negant.

CAPVT II.

ET quoniam ex Neotericis nonnulli, inter quos Santorius libro, quem edidit *de methodo euitandi errores in arte medica*, hanc artem per linguam iudicandi inutilem, aut nullam esse scripsit, idcirco enitendum est mihi ostendere certum esse indicium quod ex lingua sumitur, imitanti hac in re Aristotelem, vno è multis locis *primo Post.* qui cum illi propositum esset instrumenta docere scientiam pariendi necessariam, optimum factu iudicauit disserere aduersus Platonem, qui scientiam esse Reminiscentiam argutabat, & Scepticos, Pyrrhoniosque, & ex noua Academia Platonicos,

nicos, aliosque Sophiſtas, qui omnino ſcientiam de medio tollebant, ea enim ſublata, omnino ſuperuacuum eſt inſtrumēta ſciendi perquirere, & etiam imitari Hippocratem, qui libro *de Arte*, Medicinam eſſe aduerſus eos, qui id negabant, oſtendit. Propoſitum eſt itaque mihi, methodum notificandi morbos magnos, & occultos ex ſignis dare, quæ à lingua ſumuntur: quam certam, & vniuerſalem eſſe ſignificationem negant aliqui, quibuſdam ſiſi rationibus: quas vbi propoſuero ita diluam, vt nihil ſtatuere aduerſus hanc veritatem videantur. Cenſuit Galenus *ſex. de mor. vulg. tex.* 13. linguam non ſecus ac vrinam indicare, quænam affectio ſit in humoribus, nec tamen id verum eſſe putant nam ſic argumentantur. Quæ ex lingua certò colliguntur, prodeunt à ſapore linguæ adhærentium humorum, vel à colore eorum linguam tingentium: quare ſi lingua ex alijs cauſis alteretur & maculetur, dicimus ex ſignis linguæ non poſſe ſemper aliquid certi colligi de internis humoribus prædominantibus: hinc qui inferunt hanc conſequentiam, Lingua eſt aſpera, nigra & ſicca, ergo humores peccantes ſunt calidi & feruentes; valde errant; quia conſequentia non eſt de omni, & per ſe, cum multi ſint qui habeant glabram, & ſiccam linguam non ob idem peccan-

tem, ſed ob alias cauſas. Et enim non vno loco à Gal. & Hip. relatum eſt, linguas aſperas & ſiccas reddi in illis, qui oſtenent apertum, quia aer abſumit linguæ madorem: ſimiliter aſperam reddi cum catarrhus ſtillat à capite, & hæret linguæ; adhæc aliquando nos videre ex hypochondriacis ſine febre linguam reddi adeo aſperam, vt corij ſpecimen æmulari videatur, & demum talem reddi ob immoderatam caliditatem humorum peccantium. His rationibus conficere ſe putant, linguam non præbere nobis ſigna certa, & vniuerſalia ad inueſtigandos morbos. Adijciunt his Auicennæ auctoritatem duorum locorum, quorum alter eſt *lib. 3. Fen. 15. tractatu primo*, vbi habet. *& quandoque denigratur lingua ex duritie ſplenis, & ſentitur durities eius atque rugitus cum premitur, & non eſt cum ea febris inſeparabilis. imo quandoque eſt.* Alter *lib 1. Fen. 2. doct. 3 cap. 3, cognoſcere vero ex colore linguæ complexionem ſtomachi eſt difficile.* quare inferunt, ſi difficile eſt ex colore linguæ cognoſcere quæ ſunt in ventriculo, quanto difficilius erit cognoſcere humores peccantes in venis, & alijs partibus? His putant ſe Hippocraticæ & Galenicæ veritatis quadratam baſim euertere. at heu miſeri, toto Cælo falluntur. nam quod aſſumunt: quæ ex lingua certo colliguntur pendent à ſapore linguæ inhærentium humorum, vel à colore

eorum linguam tingentium, falſum eſt, nam à læſa actione cum tremula, & reſoluta eſt lingua, & a qualitatibus ſecundis mutatis cum vel dura, vel mollis, vel aſpera, vel lenis, vel denſa, vel rara: quare non ſolum ex ſaporibus linguæ inhærentibus, & coloribus eam tingentibus ſigna nobis lingua ſuggerit, ſed etiam ex actione læſa, & qualitate mutata, præter ſapores, & colores. Sed eſto, non aliunde nobis lingua ſigna ſuppeditet, quam ex ſaporibus, & coloribus, numquid tamen ſequetur quod infertur ex alijs cauſis alterari, & maculari linguã? nam cauſæ proximæ & immediatæ vitiatorum ſaporum & colorum nullæ aliæ eſſe poſſunt, quam ipſimet ſucci ſapidi, & colorati linguam inficientes, cauſæ quidem mediatæ & remotæ aliæ & aliæ eſſe queunt: quare ex linguæ huiuſmodi ſignis de humoribus ſemper certo conijcere poſſumus quæ in occultis latitant, & ex quibus vitiari humores ſapidi, & colorati efferuntur, & licebit certo inferre: lingua eſt aſpera, nigra & ſicca, ergo humores calidi & ſicci dominantur, ex quibus putredo, & ardens febris reſultat. Quod ſi Hipp. & Gal. linguam ſiccam fieri voluerunt ex oris apertione, & ſermone, id intellexerunt de leui aliqua ſiccatione, non morboſa, quę addita ei quæ à febre oritur, maiorē ſitim inferre ſolet, nã ſexto Epid. Hippo. & Gal. com 3.

continere linguam, & tacere affirmant esse remedia sitis. ergo os habere apertum, & loqui, sitim aliquam & siccitatem inducunt, nec addunt asperitatem; ab his effici, vt ipsi somniant, nec veri simile est, nisi cooperante calore & siccitate febrili. Quare conficimus linguam siccam,&asperam insigni &morbosa siccitate, & asperitate,necesse esse à febre putrida & valida ex calidis & acribus succis pendere. Addunt deinde,quod maxime mihi risum mouere queat, similiter asperam reddi linguam à catarrho dum stillat à capite,& hæret linguæ. An intelligunt catarrhum stillantem à capite, & hærentem asperare linguam sine febre, an cum febre?si absque febre; hæc non est asperitas, quam necessario inæqualitas partium cum siccitate & duritie postulat, sed inæqualitas quædam cum humiditate, & mollitie, quæ resultat ex substantia linguæ, & ei inhærente catarrho: si cum febre, à qua pituita stillata densatur, & siccatur, iam non sola pituita asperitatem facit, sed febris maxime. Quare concludimus asperitatem, quæ sequitur feruidos venarum & arteriarum succos, esse substantiæ, & corporis ipsius lingue, quæ, aiunt, in consumpto humore talis redditur. Quod aiunt in Hypochondriacis sine febre se vidisse linguam asperam adeo & siccam, id non est ex classico-

rum

rum ſcriptorum auctoritate, quorum nullus, quod ſciam, inter ſigna pathognomonica huius morbi, retulit aſperitatem, & ſiccitatem linguæ: quod ſi aliquando vidiſſe contigit, dicendum cum iis latentem febriculam ſubſtitiſſe. nam melāchonicus humor valde pronus eſt vt excaleſcat, & refrigeretur, vt ſenſit Alex. *in Probl.* quare excalefactus vehemēter fuliginoſos fumoſoſque halitus extollere poteſt in ſuperiora loca; cerebrum nempe, & linguam; id tamen, vt dixi, non fit ſine febre, ob vehementem illius humoris feruorem. Ad locum Auicen. quo vrget nigritiem linguæ eſſe quandoque à duritie ſplenis, ſine febre, dico apud Europæos, Græcos, Italos, Gallos, & alios Occidentis populos, non frequenter, quin rarenter admodum, videri duritiem ſplenis ſine linguæ nigredine, imo & obſtructiones, & ſcyrrhos. Quod ſi in Arabia, vbi fuit indigena Auicenna, vbi ſcripſit, & vixit, id ſæpiſſime accidat, non repugno: nam loci illius calidiſſima natura multum atri humoris, Arabum corporibus ingenerat: id quod oſtendit illorum corporum nigredo. Quare, ſi quando copia eius ad lienem decumbit, feruidi nimirum, & caleſcentis; aduentitia totius temperatura non eſt, verum tantum eleuatur halituum copia nigrorū, quæ & linguā, & faciem nigrefacere

 poſ-

posſit; id tamen non eſt vniuerſale ad omnem Cœli & Terrarũ regionẽ. quapropter concludẽdo affirmo, hãc eſſe propoſitionẽ per ſe, de omni, & quatenus ipſum; Lingua eſt ſicca, & aſpera morboſe, ergo adeſt febris putrida, ex ſuccis calidis, & acribus. Nonnihil etiã hanc de ſignificationibus linguæ doctrinã infringere videtur, ꝙ dubitari poteſt; an cum morbus conſtet ex duob. varij coloris humoribus; vt tertiana notha, ex pituita alba, & bile flaua, an, inquã, duo linguam inficiant colores, albus, & flauus? Inficiunt ambo, vt experientia docet, ſed hoc nõ videtur vniuerſaliter verum. nam duo interdum ab vno ſucco colores naſcuntur, quorum vnus linguam, alter aliam partem tenet. Auicenna enim *lib.* 1. *Fen. ſecunda doc.* 3. *ca.* 3. ait; & fotaſſe eſt cũm in vna ægritudine duorũ colorũ diuerſitas in duobus cõtingit membris, ſicut cũ lingua albeſcit, & nigreſcit facies in vna ægritudine, quemadmodum in icteritia quæ propter vehementẽ acutiem choleræ rubrę accidit. Reſpondeo nõ eſſe abſurdum aliquando ab vno morbo vnius humoris vnicoloris, plures excitari colores in diuerſis mẽbris, cum nempe humor aliquis, ex quo ſolo morbus eſt, tam valido calore pręſtat, vt quieſcentem in alio membro humorem concitare poſsit; vt in Icteritia à bile rubra multi acuminis multiq; caloris, quæ pituitam

tuitam quiescentem in cerebro liquare potest, à qua lingua albescit, & in facie excitare nigritiẽ quandã rubescentẽ, quálem necesse est ab ea rubra bile fieri, quę est in via per assationẽ ad atrũ humorem, quæque in rubro nigrescit, idq; præsertim in vultibus Arabum, de quibus potissimum intellexisse Auicenn. credibile est. Quod si quæras cur, colore ex rubro nigrescent e, etiã lingua non tangatur; dico, superinductam à pituita alba albedinem, occultare rubrum qui tunc in lingua necessariò adest, colorẽ; qua de tersa, facile rubescens color apparet. Denique pro coronide dicimus, doctrinam de linguæ signis, in acutis morbis, vt docet nos Galenus *sex. Epid Comm.* 5. esse ex abundanti, nam succos in corpore redundantes satis ex vrina cognoscimus, ex linguę vero coloribus, ex superabundanti: sicut enim in anatomia Medico satis est noscere partium substantiam, situum figuram, & viciniam, ad sanationem morborum qui ex arte curantur, vsum vero & actionem ex abundanti cognoscimus; ita ex linguæ coloribus morbos indicari, ex superabundanti esse dicendum est. Quamquã & incidunt sæpe tempora, & casus, vt linguæ signa necessaria sint nõ secus ac vrina, cum nempe ob aliquẽ morbũ, vrinã æger nõ reddit. Omitto, à linguæ actionibus læsis hauriri multa signa; quæ cũ ab vrina

præstari

prȩstari non posʃint, nõ ex affluenti, ʃed valde neceʃʃaria dicēda ʃunt, quod Ariſt. *ʃect.* 34. *prob.* 4. confirmat, cum ait, linguam eʃſe plurium rerum indicem, febris ardentioris, grandinum morboʃarum. Sed negocium faceʃsit grauius Hipp. 2. *de Morb.* qui loquens de morbo regio nigro, ait: *Color ſit niger circa faciem, & maxime circa partes velut vmbra occultatas; & oculi cum virore pallidi, iamque lingua inferne, & venæ ſub lingua craſſæ, & nigræ, & eſt homo ſine febre.* Ecce inferna pars linguæ penes ʃuas venas, eſt nigra; nulla infeſtante hominem febre. ergo nigrities non eſt certum acutæ febris argumentum. Reʃpondeo, tripliciter poʃʃe linguam reddi nigram: aut quia è cauitate pectoris, vel ventriculi halant fuligines, quæ ʃupremam partem linguæ inficiunt; aut quia à venis eiuʃdem portio humoris ʃeroſi vſtulati in eam reʃudat; aut denique quia venæ linguæ magnæ, & multum nigri ʃanguinis continentes, infernam faciem appingētes, linguam nigriorem reddunt. Cum dicimus nigritiem linguæ indicare febrem acutam, intelligendum eſt ex mente Galeni, de prima, & ʃecunda nigritie, non de tertia, de qua, citra controuerſiam, loquitur Hipp. 2. *de Morb.* vt legenti nõ oʃcitanter liquet. Cæterum dum dicimus, ex varijs coloribus linguam tingentibus, colligi humo-

humores, qui ſunt morborum cauſæ, vt ex albo pituitam, ex flauo bilem, ex rubro ſanguinem, ex nigro atrum humorem; videmur ſupponere aliquid non verum, nempe colorum varietatem ſequi ſpecies humorum; hæc enim conſequitur potius variam coctionem, alterationemque à calore, vt docet Auct. *libelli, de coloribus* Ariſt. attributi, & à Simone Portio Neapolitano latinitate donati, & Commentarijs illuſtrati, *cap. 5* Quippe fructus vbi cocti, & maturati ſunt, colores varios induunt, mutato herbaceo. Reſpondeo, idem eſt dicere, aut fere nihil diuerſum, mutationem colorum ſequi coctionem, & variam rerum alterationem; & affirmare illam ſequi variam ſpeciem humorum: nullis enim ſpeciei humorum forma inducitur, niſi per præcedentem aliquam alterationem coctionemque. Iterum aliud videtur labefactare hanc notarum à lingua ſumendarum ſignificationem; nam pituitæ albus color, dum in ſtatu ſecundum naturam conſiſtit, aut aliquo præter naturam, in ipſius putredine, accenſione, & aduſtione, mutatur in fuſcum, & nigrum. Ergo albus ipſius color non erit neceſſarium ſignum pituitæ, febrem putridam pituitoſam excitantis. nam humida, vbi à calore perpeſſa ſunt, ſolent nigritiem cōbibere. Reſpondeo; quæ putreſcunt, veſtigia

quæ

quædam accidentium antecedentium, aut penitus, aut aliquo modo ſeruant. Idcirco pituita cum fuliginoſo colore, quem ab adustione concepit, retinet etiam candoris ſignum aliquod; id quod reipſa experimur, dum viſcidum muccorem ad lucernam vſtulamus. nunquam enim ex toto albedinem exuit, ex cuius reliquijs iudicari poteſt illam eſſe pituitam. Quare concludimus, artem cognoſcendi morbos, per ſigna quæ in lingua inſunt, veram & neceſſariam eſſe; quam ſi quiſpiam Antiquorum aut recentium pertractaſſet, fruſtra laborem hunc ſubirem, verum cum eam omnes omiſerint, idcirco ante alios hanc doctrinam occupabo.

Neminem Antiquorum, aut Recentium tractationem feciſſe de Lingua, vt ſigno morborum.

CAPVT III.

Optimos Medicinæ parentes Hipp. & Gal. pleraq; de lingua vt ſigno acutorũ morborũ docuiſſe, *6. de mor Vulg. & 3 & 1. li. de victus ratione in morbis acutis, & tertio com. & alibi,* qui

qui libros illos euoluit, & eorum commentarios, non ignorat: nemo tamen aut priscorum, aut iuniorum, quantum mihi liquet, integram, & ordine disertam tractationem fecit. Nam hi præstantissimi viri sparsim, & obiter de lingua differuerunt, quantum conueniens iudicabant ad persuadendum lectoribus super aliqua affectione: & quantum quispiam existimaret cognitionem signorum linguæ adiuuare Medicum, ad curanda humana corpora: perfectam vero, & ordine distributam disciplinam neglexisse videntur. Post hos, qui hanc prouinciam susceperint neminem, licet diligenter conquisiuerim, noui. euolui enim pluries totam Gesneri bibliothecam, in qua non solum libri Medici, qui hactenus typis excusi, sunt, sed etiam ij, qui in celeberrimis bibliothecis Vaticana, Medicea, Feltriæ, Diui Marci, Regis Galliæ manuscripti latent, optime recensentur: in quibus huius argumenti liber extat nullus, & forte, si licet causam rimari, quamobrem hanc artis partem nemo sit aggressus, eam ideo prætermiserunt. quod lingua vrinæ consignificare videatur. Nam si, vt dicebat Hippoc. lingua concolor est vrinæ: quod eius color denotat, idem notare eundem linguæ colorem dicendum

dum eſt. nã verbi gratia flauus vrinę color bilis copiam ſignificat, quam etiam linguæ flauities notat. quamquam hæc ita eſſe videantur, non tamen linguæ ſignorum notitia ſuperuacua iudicanda eſt; præterquam quod multa linguæ ſigna Hippoc. & Gal. non inutiliter propoſuerunt, dum notantur à lingua ea, quæ ab vrina ſignificari non poſſunt; vt vitia animæ rationalis à linguę prolatione notantur, quæ ab vrina non bene ſignificantur. Itaque ego primus (abſit verbo inuidia) facere conor ea quæ alij prętermiſerunt, redigens in artem, quæ Hippoc. & Gal. tamquam fundamenta præiecere, & artificioſa methodo inſiſtens, ſolidam doctrinam, fiſus omnium largitori Deo. Quamobrem ſi hæc noſtra lucubratio ad dignitatem perfectæ diſputationis, & artis acceſſerit, gratiæ Deo agendæ ſunt, qui cunctorum nobis notitiam ſuggerit. Quod ſi infra ſteterit, quam artis pręſtantia poſſit, quaſi multæ eius partes mihi exciderint, humanæ imbecillitati, hoc eſt meę adſcribendum credentes, veniam dabitis, ſupplentes ea quæ deſunt, & remouentes, quę minus commode dicta ſunt.

Proponuntur quinque Generalia Capita huius artis, & de Primo multa dicuntur.

CAPVT IIII.

POstquam artem hanc ex lingua ſignificandi, eſſe probauimus, paulatim gradum facimus ad proponenda generalia eius capita, quę quinque ſunt. nam primo Phyſiologica linguę perſequemur, quæ abſoluta eſt eius theoria, tum ęam ſub ſigni ratione ſpectabimus, conſiderando differentiam ſignorum eius, deinde indicia contemplabimur, mox cauſas: poſtremo præſagia tractabimus. Sumpto igitur à Phyſiologica parte exordio(naturalia enim ſemper præire debent non naturalibus & præter naturam rebus, cum illa horum fundamenta ſint) dicimus organum hoc ex quo ſigna accepturi ſumus latine *linguam* dici, à *ligando* cibo, vt Varro cenſuit, quod illum dentibus aduoluat, vel potius quodſuis flexionibus & plicaturis, quaſi ligaculum quoddam ea in quę incurrit, alligare poſſit. Græcis Gloſſa dicitur, vel παρὰ τȣ̃ Κυκλόω, quod eſt circum-

agere; nam dum ipsa circumagitur, articulatæ vocis constitutio fit; vel ἡ γλῶσσα, quod scilicet dignoscat: ipsa enim, cuiuscumque saporis genus, cum palato, quod ei peculiare habetur, discernit: Sed vt Galeni veram interrogationē ad Tetricum Senem *lib. 2. de diff. puls.* propositā incurramus, negātem prius homonymiam distinguendam, quam diffiniendam: studebo prius linguæ significata distinguere, quam aliud quidquam de ea pronunciem. Lingua igitur prima sui notione notat carneum illud instrumentum, quod oris cauitate conclusum est; secundò, signat sermonem, qui est actio ipsius; tertio loco *apud Gal.* lingua sunt verba antiquata quæ antiquis temporibus erant in vsu, tunc autem Gal. tempestate desueuerant, vt docet ipsemet in expositione Hippocratis. Lingua etiam est pars calcei, & tibiæ canoræ ligula *Flossa* Græcis, quod nobis est Lingua, notat commentationem: quam vocem in eo significando adhuc retinemus, & popularem fecimus, detractaque, S. litera, *glosa* dicimus. Accipimus & linguam idiotismum. vnde dicere solemus linguam Italicam, Hispanicam, & Gallicam, pro idiotismo Italico, Hispanico & Gallico. His & huiusmodi reiectis omnibus significatis, primum & secundum facile retinemus, & de lingua, sub his notationibus

nibus, facilè differemus. Hæc corpore gemina est, quemadmobum reliqua omnia sensuum instrumenta; sed non diuisa, cum non sit melius: neque ad comestionem, neque ad sermonem esse fissam, meritò partes eius fuerunt vnitæ & connexæ. quod autem hominibus duplex sit, patet, cum neque à dextris ad sinistra musculus vllus, aut arteria, & vena, aút neruus transcat; neque à sinistris, ad dextra. Hæc substantiam habet teneram, spongiosam, raram, carneam, sanguineam, pinguem, mediam inter meram carnem & substantiam glandularem; nec sibi contradicit Galenus cum libro *de Cib. bon. & mal. succ. natura*, ferè glandulosam dicat; nam non absolutè glandulosam pronunciat, sed addito verbo, *ferè*, quod idem significat ac si dicat, participare de substantia grandulosa, non ex toto, sed simul etiam carnea, carnea. inquam, quæ ei tantum peculiaris sit: profectô si carnea, & sanguinea est, humida etiam; & calida dicenda est, quod ei tribuit *Liber de Occul.* Galeno adscriptus; dum vult calida & humida linguam delectare, at subdit; *quæ delectant similia sunt: igitur lingua calida est, & humida, vtpote quam talia delectant:* quod absonum non est ei, quod attulit GALENVS *tertio de Alim. facul.* cum ait, eam carnem habere fungosiorem, & sangui-

neam, quod enim sanguineum est & carneum, humidum est & calidum Sed contra est Hipp. qui 1. Acut. apellat linguam siccam, dum ait: *Quæ ob siccitatem & sicca est, & spongiosa*. Respondeo, linguam spectari posse ratione duorum, aut enim consideratur penes substantiam teneram, & flexibilem, imo plicatilem: & hoc modo humida est, cum talia patiatur, quæ propria humoris sunt; aut penes priuationem, & carentiam humiditatis, qua pori eius impleri possunt, & non implentur: & hoc modo sic est: sicut enim spongia sua substantia tenera & flexibili humida est, ob carentiam vero aquæ qua per poros impleri potest, sicca: ita profecto dicendum de lingua id quod declarant verba Hipp. ait enim: *quæ ob siccitatem sicca est, & spongiosa*. hoc est ob carentiam humoris porosa est, quod est esse siccum, quia humore non repletur penes poros. ostendunt & illa paulo infra: *Lingua autem ex venis humidum accipit, & ex lata rotunda, ex bene colorata liuens, &c.* accipit humidū, quo caret per porositaté: quod auté recipit humidū, ob carentiam illius, siccum est. Quare concludimus linguam esse humidam & calidam, & quadantenus etiam siccam: venis textam maioribus, & pluribus, quam pro magnitudinis portione, 3. *de Alim. facul.* fibris etiam transuersis, obliquis, & rectis implexam. Lingua tota nouem

uem muſculis (vt placet experientiſsimis Anatomis) munitur, quorum vno ligamenti formam habente, ipſa faucibus alligatur, cuius beneficio, quaſi fræno quodam, ad optimum finem omnes actiones, & perquam compoſitè dirigit. Attexuit natura linguæ vtrimque glandulas, quaſi ſpongiolas, ab vtraque parte, *Siloides* dictas, quarum meatus, per obliquas portas, atque inferiores, humorem pituitoſum aut ſaliuoſum, in ipſam eructant linguam, eius inferiora, lateraque, & omnia quæ in circuitu ſunt, humectantes. Habet tunicam, quæ pars eſt illius, quæ vniuerſam oris amplitudinem ſubcingit, & fauces, & laringem, & aſperam arteriam, & gulam ambit; quæque priuatim, tertij paris neruorum cerebri, portiones aliquas ſibi vendicat, à quibus ſentiendi ſaporis organum efficitur. Habet & alios neruos, à ſexto & ſeptimo neruorum cerebri pari propagatos, qui motus ei principium præbent, motus, inquam, colligendi ſe intro, & exerendi foras, efferendi ſurſum, deprimendi deorſum, flectendi ſe ad latera, dextrorſum, & ſiniſtrorſum: ad quos motus multum conferre videtur ſpongioſa eius ſubſtantia, per quam valde dilatatur, & elongatur ad eam diſtantiam, ad quam muſculi nō perducerent, niſi ſungoſa ſubſtantia conſtaret. confert etiam ſpon-

giositas ipsa ad id, vt, si quando deglutio est impedita vel vitiata, lingua succos imbibat quasi spongia, & per partem, post partem ad œsophagum transmittat, inde ad ventriculum descendat, ad nutritionem, vel saltem ad subuectionem alimenti. Qui, linguæ porositatis vsus elicitur ab Hipp. 7. *Epid. in Hyst. Pythodori*, dum ait: *sub vltimum tempus, dolor pectoris deglutienti potum, & manus in pectore, cuminum, & oua absorbenti sedatus est; linguæ raritas profuit.* Vbi intelligendum, quod Pythodorus, cum dolore deglutiret potū, à deglutitione liquoris abhorrebat, eamque fugitabat, cuius vice Medici vtebantur madefactione per spongiam, liquore aliquo infusam: à qua lingua propter raritatem sui corporis exugebat succum, & demittebat in ventriculum per œsophagum. Nec obstat, si quis dicat, quod absorbuit ouum cum cumino, sine dolore, vnde deglutitio non videtur esse impedita, impediebatur enim ad assumendum potum non cibum solidum.

De

De Figura, Magnitudine, Situ, & Actionibus Linguæ.

CAPVT V.

Figura linguæ Pyramidem imitatur, nam pars anterior, quæ *proglossus* dicitur acutior, in posteriore latior, in basi amplior in cono acuminatior, quę Græce *Hypoglossis* dicitur; superior ac asperior pars iuxta palatum Epglossis; excauationes vtrimque, *Ciramon, & Parastira*. Quare cordis figuram, non nihil effingere videtur. Iuste & mediæ magnitudinis est, pro oris capacitate, qua contegitur, quaque tot motibus flexibusque prosilire debet; nam si maior sit, dum oris meatum plus nimio repletũ reddit, tardo inertique sermone, atq; in articulato vtitur, si vero minor forma sit, quam satis dentibus inniti queat, vitiato eloquio, verborũ vsũ nõ explet. Quare magnitudinis in ipsa ratio ita se habet, vt quidem toti corpori proportione respondeat, sed longior sit, quam latior, & lata magis quam profunda; volentibus tamẽ nobi , magis

& minus dilatatur, & panda fit, & ex lata, in rotundam & teretem figuram angustatur, & similitudinaria ab actione forma, plectrum imitatur, cuius dentes, chordæ sunt, & nerui cornua, quibus canenti accinitur. sic enim D. Ambrosius in *examero* plectrum loquentis eã appellat. Quamquam auctã linguæ magnitudinem præter modum, locutioni non officere credere videtur Galenus, qui lib. *de Diff. mor.* ait, se vidisse linguam, quæ supra modum, sine vllo doloris sensu excreuisset, nam neque mollem tumorem, neque durum, neque phlegmonem patiebatur, & nullum malum, præter immodicam magnitudinem, ostendebat, nihil ipsa substantia vitiata. Si igitur nullum malum, præter immodicam magnitudinem, patiebatur; ergo hæc magnitudo actionibus non oberat. Dicimus accretionem istam linguæ, etsi ingentem, tantam non fuisse, quantam nos requirimus, vt locutionem vitiet; idcirco nullum intulit malum, præter magnitudinem auctam. nam ad oris capacitatem hominis illius, non erat immodica, ita vt in ea circumflecti non posset. Quod pertinet ad linguæ situm, quærendum videtur, an lingua locetur in censu partium internarum, an externarum, ipsa enim ex ordinario nostri corporis positu, oris cauitate abdita latet, nec in aspectum cadit, vt so-

ſolent partes quæ vero nomine externæ cenſentur; vbi tamē aperto ore exeritur, maxime nobis ſpectabilis redditur, vt hac ratione inter externas reponi debeat: quod ſentire viſus eſt Ar. *ſect. 3. prob. 6.* vbi cauſam afferens cur lingua totidem coloribus varietur quot cutis, ait, an quod ea quoque in membrorum numero exteriorum recipitur, quamuis in ore abdita occultetur? hinc dicebat Gal. *2. de vſu part.* neceſſarium eſſe ipſam intra os locari, potius quam nudam eſſe. non enim eſſe ſine operimento melius erat, neque alio quouis potius quam ore tegi, etenim ſapores, ibi locata, erat melius iudicatura, loquendique inſtrumentum melius futura, ciborumque maſticationi deglutitionique non medriocriter opitulatura. Igitur ad radicem quaſi finem ſuum, in obtuſum mucronem faſtigiata, vt ad motum promptior ſit, figitur, & ad fauces, per vinculum illud magni vſus gratia efformatum: per illud enim lingua, ita moderate continetur, vt & introrſum collecta, poſſit facile recurrere, & foras exerta ad ſedem redire. Inſuper per iſtud ſedem obtinet ſtabilem & tutam, ſine quo, ſoluta, & fluctuabunda vndique eſſet. Situm etiam habet, provt multa morborum ſigna continere debet, perquam commodum; locatur enim in confinio, & exitu trium ma-

ximorum ventrium, capitis, thoracis, & abdominis, qui spiracula sua in eam effundunt. si enim ipsa futura erat organū sermonis, & cātilenæ aptanda erat laringi, & arteriæ simul, & capti. cū enim in locutione necessario mouenda esset, oportuit vim mouendi à capite, vnde in omnia influit, expectare; cumque sonus non sit, nisi à spiritu, cuius conceptaculum est arteria, ab ea illum haurire debuit. cōmodius enim vim vicina excipiunt, quam lōginqua. Adde mentis conceptiones notionesque, quas ipsa sono, voceq; significatas effert, à capite descēdere, à quo, sine medio, melius erat excipere. intētionales enim cū sint facilè euanescerent. Supponi etiā capiti proxime lingua debuit: vt ipsa secundū superiora sua à superpositis cerebri meatibus humefiat, & irrigetur, ne lingua, ob crebrum motum locutionis exsiccata, minus aptè ad loquendum flecteretur. nam 2 *de vsu part.* ait: *lingua, ob siccitatem efficitur tarda* Gulæ vero adponenda erat, & colliganda per suam exteriorem tunicam, quæ est eadem & continua cum exteriori æsophagi & asperæ arteriæ, vt cibum, quem per sapores idoneum, ad nutriendum iudicauit, dentibus commansū, per gulam in ventriculū demitteret. Dum hæc, in collocāda lingua meditatur natura, eccę tibi, quasi præter institutum,

tum,

tum, ob vicinæ opportunitatem ab omnibus ventribus excrementa recipit, quæ sunt signa, & causæ morborum: quod est, ac si dicas, ab vniuerso corpore. Constat enim totum corpus, secundum totam sui integritatem, ex maximis partibus. Cæterum linguę ipsi rerum opifex omnipotens mirando organo, plures visus actionesque inseruit, locutionis, cantilenæ, masticationis, deglutionis, perceptionis saporum, & flexionis in supernam & infernam faciem. Locutionis quidem; nam cum verba proferre contendimus, lingua ipsa circum dentes quosdam,, se se implicando, flectendo, circumagendo, ac se se nunc his, nunc illis, diuerso motu, applicando, orationis discrimina rectè exequitur, conferente opem litterarum syllabarumque collectione: masticationis vero, cum cibos ad dentes toties reportat, sua flexione, quoties ad molitionem eius integram, opus est; instar molitoris, qui oleas, quæ ex orbita molæ excidunt, eò sæpe refundit: transglutitionis, quod cibos ad gulam suo deflexu dirigat: Gustationis, dum sua laxa & fungosa substantia succos imbibendo, per insertos sensorios neruos, dijudicat: ad quam actionē, linguam esse debere modicè humidā, scitu dignum est. nam & sicca, & nimis humecta nō valet sapores benè percipere, illud

quidem

quidem, quod conſortio ſucci, ſuccus allicia-
tur, qui à ſicca lingua abeſt; hoc vero, quod in-
tus exiſtens prohibet aduenientis ingreſſum,
& obſtruit. Subtiliſſimus guſtandi ſapores ſen-
ſus in partibus extat tenuioribus, ab vtroque
eius latere, in aliis obeſior. Lingua, partibus
oris circumiacentibus, & partes, linguæ ſuaues
eſſe debent, quod, vt fiat, nullo proprio ſapo-
re teneri debent, aut mediocriter dulci, nullo
malo ſapore infici, dum in ſtatu ſunt ſecundum
naturam, ſiue per vapores, ſiue per ſuccos in-
quinetur. At dices ſuauitatem naſci ab opera-
tione proba, ſecundum naturam; at dum in lin
gua non ſunt ſucci, & cibi, qui agentes in eam,
guſtationem pariant, & per conſequens ſuaui-
tatem, non poteſt in lingua eſſe iucunditas, cum
careat operatione, & obiecto. Reſpondeo, in
lingua eſſe obiectum, & actionem, nempe ſa-
liuoſam, & dulcem humiditatem, & per hanc,
guſtationem; & per iſtam, ſuauitatem:
idcirco dictum eſt linguam parti-
bus circumpoſitis, & par-
tes linguæ eſſe de-
bere ſuaues.

CAP.

Necessariam esse sumptam à Lingua significationem, quidque illa praestet Pulsui, & Vrinae.

CAPVT VI.

PRæterquam quod lingua vrinæ significationem confirmat, si quando ad significandum consentiat; etiam vicariam illi operam præstat, vbi vrinę copia haberi non possit; vel si habetur, ita ob morbos renum, & vesicæ, quibus æger detinetur, perturbata est, vt ad præsentis acuti morbi dignotionem nihil conferre possit. Non habetur autem, cum vel ob renum morbum à sanguine vrina non segregatur, nec trahitur, ideoque mista cum sanguine in omnes venas rapitur: vel ob vesicæ inflammationem, vel ob calculum, vel muccorem viscidum, vel quemcunque alium affectum, intercepta via supprimitur: idque innuere voluit Hipp. *cum lib. cit.* dixit: *Linguam lotium significare*, idest, vice vrinæ ad significandum sumi, vbi illa ad manus nõ sit, cũ nihilo minus quam vrina succorum affectiones notet. Et quoniam signum quo euidentius faciliusque est,

est, eo commodius habetur; lingua ad significandum sumpta, hac commoditate longe superat vrinam, & pulsum: ex pulsu enim iudicaturus, nisi suppetat acutissima vis intelligendi, perspicax tangendi facultas, exercitata in his ratio, & tactus. præterea attentio summa nihil vero consequi potest: quam rem non obscure declarat id quod nostri temporis medicis plurima ex parte contingit, qui cum habeant à Galeno absolutissimam, ordinatissimam, solidissimam doctrinam de Pulsibus, in qua fere supra humanas vires desudauit diuinissimus vir, quaque absolutiorem non fecit theoriam, quasi Herophilei discipuli deserentes Magistrum, nimiam propter subtilitatem. nihil præclari in hac arte attingunt. Vrinæ quidem aliquanto expeditior notitia est, & tutior, siue quia facilius forte sit visu quam tactu iudicare, & de minima motiuncula, qualis est pulsus tot, tanta, tamque expensa noscere arduum sit: siue quia non tam eximiam dotium supellectibilem poscat, sua tamen, & magna difficultate non vacat: si quæ Hipp. & Gal. sparsim innumeris fere locis tradidere, & quæ Actuarius vno volumine solidius comprehendit, non animo solum verset attentius, sed etiam ad experientiam non fallacem reuocet. De qua difficultate liberè illud effari

libet,

libet, quod ita interdum, vel Nebula, vel Aneorema, vel Hypoſtaſis, ob ſummam ſubſtantiæ ſuæ tenuitatem, & coloris idemtitatem, vrinæ liquori concolor eſt, vt ne quidem tenuiſſima oculi acies interſtinguere poſſit, contentum à corpore vrinæ. Hinc fortaſſe Ioannes Dameſcenus *lib. Aph.* non tutam vrinę fidem haberi ad morbos ſignificandos credidit. Adde vrinam non indicare morbos, qui extra venas, renes, vreteres, & veticam ſunt; linguæ vero omnia in aperto ſunt, ſi modo æger os diducere, & pandere poteſt: quod quia interdum vſu venit, vt aperiri non poſſit, quantulamcumque ob noxam muſculi mandibularum, hinc indicatur, quam inſufficiens vnumquodque ſignorum genus ſit ad vniuerſam ſignificationem de morbis faciendam. Adde etiam, Hippocratem *in fine Prog.* cum compleuiſſet ſermonem de vrinis, hæc ſubdidiſſe; *Non decipiaris autem, ſi vetica quodam vitio affecta aliquam ex his vrinam reddiderit, neque enim totius ſignum, ſed ipſius per ſe ipſum.* Vnde habetur; in morbis renum, veticæ, vreterum, penis de febre acuta, quæ totius morbus eſt, non haberi certam notitiam.

Quid

Quid differat Lingua, qua signum, à Pulsu, & Vrina.

CAPVT VII.

TRIA esse summa genera symptomatum, ita per se conspicuum est. vt etiam qui à primo limite medicinam salutarunt, nouisse poßint, actionem lęsam, qualitatem mutatam, & excretum. Ad primum genus pertinet pulsus, qui læsa quædã actio est pulsificæ cordis & arteriarum virtutis. Ad secundum vrina, quę quoddam excrementum est à naturali mutatum. Lingua vero neutrum horum est, nec etiam mutata qualitas, sed membrum quoddam est, quę sedes efficitur omniũ symptomatum qualitatis alteratæ, excreti, & actionis vitiatæ. Primum quidem cum variis qualitatibus afficitur, visibilibus, tactiuis, & gustatilibus, quæ non insunt ei secundum naturam. Secundum, cùm variis humoribus, pituita, bile, sanguine, & fuliginibus imbuitur. nam & vomitu reiectus humor per eam transitum facit, & ab eo inficitur, & sputi expellendi

lendi quasi balista quædam habetur, & quicquid per palatum à cerebro expellitur in linguam desideat necesse est. Tertium, cum actio quępiam, vel loquendi, vel gustandi, vel se mouēdi vitiata est. Cum igitur ab omni symptomatum genere, quæ linguæ insunt omnia signa suppeditentur, quorum vnum tantum à pulsu, alterum ab vrina hauritur, longe duobus his maxime signis linguam præstare dicendum est, vtpote quæ signorum multitudine abundet: de quorum omnium genere sermo habebitur, vbi duos, qui sunt inueniendi, signa fontes aperuero.

LIBER SECVNDVS.

Duos esse Fontes inueniendi signa, & de plurimis horum, ex re significata, inuentis.

CAPVT I.

DVo sunt fontes inueniendi signa. Vnus est res significata; alter est res in qua signa fundantur. A re significata, vt morbo, hauritur signum Pathognomonicum, & Assidens, a subiecto signorum: vt lingua alba, est signum pituite. Nos itaque vtraque genera signorum persequemur, exordientes ab ijs quæ sumuntur à re signata, quæ etiam dici possunt signa secundum formam, cum ea quæ a subiecto, & fundamento capiuntur, iure dicantur secundum materiam. Primi ordinis signa quinque sunt Pathognomonica, Assidentia, Decretoria,

ria, Coctionis & cruditatis, denique Prognostica, vt docet Galenus 1. *Aph. com.* 12. dum ait: *Illud autem de omnibus casibus signisque cognoscendum, quod nonnulla quidem eorum significent passionem, aliqua aßideant, aliqua decernant & iudicent, aliqua coctionem & cruditatem notent, aliqua salutem, & perniciem oſtendant.* Paſsionis significatiua ſunt, quæ vnà cum morbo inuadunt: quæ vero aſsident, aliquando ſimul inuadunt, aliquando ſuperueniũt, nonnunquam vero nec omnino veniunt, neque ſunt à morbo inſeparabilia, neque vero eorum ſubſtantiam conſtituunt, ſed proprias faciunt differentias. E primo quidem vera & legitima ſigna Pathognomonica à lingua non ſumuntur; hæc enim & ſimul cum morbo inuadere debent, & eſſe à morbo inſeparabilia; & eius eſſentiam conſtituere, quarum nulla in lingua conditionum obſeruatur reſpectu morborum totius, aut quarumdam partium pręcipuarum, nam ſigna, quæ à lingua capiuntur, rarò, aut nunquam ſimul cum morbo inſultant, dein ſeparabilia ſunt a morbo. nam inflammato vtero, dicebat Galen. *com.* 5 *lib.* 7. *Epid.* non ſemper ſigna febrium æſtantium adueniunt, neque redundanti ſanguine lingua rubeſcit, neque atra bile in liene, aut aliquibus inferioribus venis linguæ color euariat, ſicut neque ob palli-

dam bilem, aut pituitam: nec etiam ſigna linguæ morbi ſubſtantiam conſtituunt, quomodo enim, exempli gratia, calor & ſiccitas linguæ, febris ardentis eſſentiam component, cum ipſa ſit particula exigua corporis? Et vt calor, & ſiccitas ſint eiuſdem naturæ, cum ſiccitate, & calore febris ardentis aliarum partium ſolidarum, nunquam tamen illam eſſentialiter conſtituere poſſunt. Signa igitur huius generis quæ à lingua ſumûtur, ſunt quędam illegitima, & ſecundi ordinis; nam poſitis his ſignis neceſſario per demonſtrationem ab effectu colliguntur hi morbi, quorum ſigna ſunt, vt Gal. *cit. loco* docet. Nam, V. G. vbi lingua aduſta fuerit, colligitur febrem eſſe acutam, vt docet Galen. 3. *Epid. com.* 1. explicans dicta ab Hipp. de morbo Hermocratis, cui lingua in principio fuit aduſta, id eſt, ſicca, & nigra: quin etiam ipſemet Hipp. 3. *morb. vulg. com.* 3 inter ſigna febris acutæ numerauit linguam arentem, dum Pythionis febrem, qui in Thaſo iuxta Herculis fanum decumbebat, deſcribit. ait enim ex *laboribus, & à laſsitudinibus, parum habita victus ratione, magnus cœpit rigor, & febris acuta, lingua inaruit, ſitibundus erat*, &c Si quæ Pathognomonica legitima ſumuntur, ſunt ea, quæ morbos ipſius indicant, vt V. G. tumorē aucta illius magnitudo; Vlcuſculum, diuiſio continui, quorum illa eſt de

est de tumoris essentia, hæc vlceris. Signa de genere Asidentium multa capiũtur à lingua; etenim, aut assidens signum inuadit simul cum morbo, & fere nihil pertinet ad eius essentiam, sed ei appositum est: aut superuenit; & tunc manifestum est, quod substantiam non componit; aut omnino non venit, & ita separabiliter morbum consequitur. Signum à lingua, quod simul cum morbo accedit, & illi assidet, videtur esse obscuritas vocis, & sermonis. de qua Hipp. 3 *de morb vulg. com.* 2. cum describit aginam illius mulieris, quæ apud Bitonem agebat, quæ primum cœpit habere à lingua vocem obscuram *primum:* id est, statim, cum anginæ insultu; sed ad illius essentiam nihil pertinet. Notandum est autem, inflammationem musculorum faucium internorum, quibus lingua nexa est, communicatam fuisse linguæ, qua ita creuit, & tensa est, vt sermonem obscurum exprimeret, quod indicat rubor eius, qui est inter signa essentialia phlegmonis. Dico obscurum edere sermonem, non vocem: quia lingua est proprium organũ locutionis non vocis, rima vero laringis, ipsius vocis. Quod si Hipp dixit primũ à lingua cœpisse obscuram esse vocem (non sermonem) aut per vocẽ interpretandus est sermo, aut dicendũ, linguã præbere aliquem vsũ voci formande,

mandæ, qui ob inflammationem vitiatur. Et linguæ adustio, id est, siccitas & nigrities est signum quod asſidet febri acutæ. nam Hermocrates, qui ad nouum murum habitabat tali febre est correptus, & statim linguam habuit adustam. 3. *de morb. vulg. com.* 1. Asſident etiam signa morbis quibusdam, quæ à lingua sumuntur, & separabilia sunt ab ijs, vt febri acutæ ex inflammatione vteri, non semper adest arida & nigra lingua; neque redundantiæ sanguinis semper accedit rubedo eiusdem membri. Ad hæc Hipp. *lib. 2. de morb. mul. circa principium.* loquens de fluxu rubro, qui fit ex partu, & febribus, ait: *aliquando vrinæ stillicidium adest, & os siccum est, & sitis premit, & lingua aspera est*. Si aliquando est aspera lingua, & os siccum, in eiusmodi morbis, colligitur hoc esse signum separabile ab illis. Suppeditat etiam lingua signa iudicatoria, quę crisim & iudicium præsagiunt. nam *ex Coac.* linguæ valde nigræ quartadecima die iudicationem fore significant, & ex eodem loco: *quibus pleuriticis in principio lingua biliosa sit, hi septima die iudicantur, quibus tertia, aut quarta die, circa nonam.* Et ex eodem loco: *Lingua tremula cum rubore iuxta nasum, & aluo liquida, si reliqua sint sine signis circa pulmonem. malum est, & celeres purgationes perniciosas significat.* Rursus

ſus: *lingua citra rationem tenera fiens, & cum cibi faſtidio nauſeabunda, cum frigido ſudore, ex aluo liquida, nigriorum vomitionum ſignum eſt.* Hi duo loci oſtendunt, tremorem linguæ & irrationalem eius teneritudinem decretorie ſignificauiſſe malas criſes, cum euacuationibus ſenſibilibus, tum purgationũ perniciosarum, tum vomitionum nigrorum. Huc etiam ſpectare videtur & illud ex eodem penu: *Linguæ tremulæ quibuſdam etiam aluum liquidum faciunt quandoque.* Habentur etiam à lingua, & perniciosa ſigna, quæ cum decretorijs non decernentibus eueniunt, à quibus mors prædicitur, vt lib. 1. *morb. vul. com.* 3. in Philiſco, cui ad ſudorem, non diſcutientem febrẽ ſignum accidit lethale, nempe tertia die nigræ vrinæ, ſitis, & linguæ ariditas. Suppeditat etiam lingua nobis ſigna coctionis, Hipp. enim *in Coac.* ait: linguam, circa bifidam ſui partem, velut ſaliua alba obduci, ſignum eſſe remiſſionis febris: ſiquidem id quod ſuper inductum fuerit, eadem die, ſi vero tenuius, poſtridie; ſi vero adhuc tenuius, eadem die. Remiſsio & declinatio febris vniuerſalis, non eſt, niſi cum præcedenti coctione; quare quod eſt ſignum vniuerſalis declinationis, eſt etiam coctionis. Senſus autem verborum Hipp. eſt Vbi pituita, quæ alba eſt, per calorem febri-

lem liquatur, & descendens inficiat linguam, secundum totam sui superficiem, si ita à lingua deleri, & discuti cœperit, vt solum relictum sit exiguum quid circa lineam diuidentem linguam, in dextram & sinistram partem, quam Hipp. dicit *diaresin*, seu *medianam*, signum est remissionis febris, & factæ iam coctionis. nam diminuto iam calore febrili, amplius non funditur à capite pituita, &, quæ linguã inficiebat, iam a b eius natiuo calore disijcitur. Ostendit autem declinaturam esse febrem eadem die, aut postridie, residuum pituitæ circa lineam discludentem, si descendit in linguam eadem die; quod signum est, illam esse quamexiguam, aut, si pluribus ante diebus aduenerit, postridie. est enim tunc aliquanto copiosior, vtpote plurimo tempore collecta; si tamen per hoc plurimum spatium pauca indu-cta est, eadem etiam die.

Præbet etiam nobis signa cruditatis. nam *lib. de affect. paulo post principium*, hæc leguntur: *Si externæ partes non valde feruidæ sint; verum internæ, & lingua aspera, & nigra sit, huic pharmacum ne dederis: curato autem frigefacientia adhibendo; tum ad aulum, tum ad reliquum corpus.* Vetat dari pharmacum in hac praua febre, quia humores cocti non sunt. Prisci enim non pharmacabantur, nisi materia cocta esset, quæ,

vt co-

vt coqui posſit, iubet, calorem febrilem per frigefacientia domari. Et libr. 1 *morb. vulg. com.* 3. ait: *in eo, qui caleſcens cenauit, & potauit largius, lingua perarida, ſimul cum vrinis rubris, craßis, & ijs, quæ depoſita non conſiſtebant, oſtendunt morbi cruditatem*. denique in omnibus ægrotis, in quibus lingua apparuit ſicca, aſpera, vel nigra, in principio accedentis febris, neceſſe eſt illam, notare cruditatem: cum nulla materia morbifica in principio cocta ſit.

Denique à lingua mutuamur ſigna Prognoſtica, quæ nobis vel ſalutem, vel mortem prædicunt, vel ſecuritatem, vel longitudinem, vel breuitatem morbi. Et primo præſagium mortis exhibet nobis lingua arida ſine ſiti, cum cibi abhorrentia. nam ex his oſtenditur interitus & extinctio facultatis illius quæ cibum & potionem appetit: cuius eſt munus, ſentire indigentiam humidæ & ſiccæ materiæ: non tamen ſola ſiccitas linguæ ſeorſum ab alijs concomitantibus ſignis, imo nec etiam ipſa nigrities ex fuliginibus, cum GALENVS *comment.* 4. *lib. tertio morb. vulg* in expoſitione febris ardentis, quæ inuaſit Virginem Lariſſæ, cuius lingua erat fuliginoſa & arida, dicat: *Hoc relatum vtile tibi eſt, vt ne putes omnem fuliginoſam linguam eſſe exitialem.*

Igitur fuliginosa & sicca lingua semper mortem non portendit;quod etiam vsu ipso comperimus ; videmus enim multos febrientes, quorum lingua fuliginosa,& sicca est,euadere. Præsagium etiam exitialis febris habemus à lingua torrida, alijs munita signis; in muliere, quæ apud Pantamedem degebat, quam abortione infantis, prima die ignis corripuit, & septima interijt. Nam Gal. *in com.* ait: *Acutam igitur,& magnā fuisse febrem,tum quod dixit,igne est correpta,significat ; tum quod addit,lingua,torrida,sitibunda.* Præsagium etiam imminentis mortis faciunt nobis pustulæ linguæ,in inflam matione caluariæ, cum febre, quæ sequuntur eius fracturam. Hippoc. enim *lib.de vulg. cap.* ait: *Cum vero iam suppuratum fuerit , in lingua pustulatæ oboriuntur , & desipiens ager moritur.* Salutem fore ostendit lingua nec sicca , nec aspera, nec fuliginosa , sed colore proprio, vel huic proximo insignita ? indicat enim lenissimam & valde exiguam febrem? denique quāto magis est in functione gustandi, loquendi, tangendi, se mouendi, similis sanæ ; tanto magis bonum febris exitum fore pollicetur. Fuliginosa vero arida, aspera, inflammata , & tumida lingua,aliquod periculum minatur;præsertim lingua, si cum animi sit defectu, periculosior est;licet cum febris quiete, & remissione

ſione longiſsima; vt Hipp. *de vic. rat. in morb. acut. com.* 4 Quod etiam inibi cõfirmauit Gal. idcirco monet non negligenti victus ratione habẽdos eſſe ægrotos, & aqua, & mulſa, & ptiſſanæ cremore regendos eſſe diutius, & abſtinendos à validiori alimonia. Breui ſolutum iri pleuritidem, oſtendit lingua in principio bilioſa, id eſt, flaua; ſeptimo nempe die indicium euenturum eſt; ſi vero tertia, aut quarta die fiat lingua bilioſa, circa nonam. Bulla ſubliuida naſcente ſub lingua in principio, qualis eſt ferri intincti in oleum, difficilior ſolutio contingit, & iudicatio quidem ad decimum quartum diem peruenit; plerũque cum ſanguinis expuitione, *ex Coiac.* Quare concludimus, ſigna ſecundum formam, omnia à lingua deſumi, & quinque eſſe vt paulo ante explicatũ eſt. Quod ſi dicas, ſignata eſſe quatuor, ſigna quinque idque videri abſurdum. nam Morbus, Criſis, Coctio & Cruditas, Salus, & Mors ſignificantur; ſigna vero horum quinque ſunt, Pathognomonica nempe, Aſsidentia, Critica, Coctionis & cruditatis, denique Salutis & Mortis. Reſpondeo, ad ſignificandum morbum, duo genera ſignorum aſſumi, Pathognomonicum, & Aſsidens, quorum primum inſeparabile eſt à morbo; ſecundum verò ſeparabile, & aliquando poſt,

ali-

aliquando ſimul, quandoque omninò non adueniens,& idcirco ſignata tantum quatuor ſunt,ſigna quinque.

De ſignis quoad Materiam.

CAPVT II.

GALENVS in com: eius lib. qui inſcribitur: Quæ in medicatrina fiunt: duas videtur conditiones in ijs requirere, quæ ſignirationem ſubitura ſunt; vnam, vt id, quod in ſignum euadit, cognitu facillimum ſit; alteram, vt magnam ad ſignificandum facultatem habeant: quæ duo in eo præcepto Hippocratis agnoſcuntur, quo iubemur vt inſpiciamus à principio, an ſimilia, vel diſsimilia inſanis ea quæ vel audire, vel videre, vel tangere, vel intelligere licet in ægrotis; videre quidem quæ ſub aſpectum, audire quæ ſub auditum, tangere quæ ſub tactum, intelligere quæ ſub intelligentiam cadunt. Hæc omnia in lingua inſunt. nam & corpus quoddam coloratum & viſibile nobis proponitur; & vt audibile, dum vt ſermonis organum noſcitur;& vt tangibile quoddam obie-

obiectum, dum qualitatibus primis & secundis tactilibus insignitum est; & vt organum quoddam tactiuum, dum facultate pollet easdem primas & secundas qualitates tangendi, & iudicandi, dumque vi gaudet succos sentiendi & gustandi, quæ vis, per quandam tactionem operatur; denique & vt quoddam intelligibile, quatenus est organum quoddam locutionis significatricis, proponentis Medico ad intelligendum ea, quæ in se æger expertus est, vel experietur in dies; vel ea quæ linguæ accidunt, vel quæ ad totum corpus, vel ad totum hominem. ad linguam quidem, cum nouit aptum esse organum masticationis, deglutitionis, & aliorum plurium motuum; vt sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum, & in orbem. Si lingua nobis signa suggerit, vt corpus coloratum; aut proprium retinet colorem, aut est flaua, aut viridis, aut pallida, aut alba, aut nigra, aut liuida, aut rubra: si vtcumque visibilis, aut est tumida, aut gracilis, aut aspera, aut lenis aut humida, aut sicca, aut spumans. Nec quis me reprehenderit, quod dixerim, asperum, læue, humidum & siccũ cognosci visu: cum potius tactu noscãtur. etsi enim propria sint hęc ipsius tactus sensibilia, tamẽ siue per accidens, siue per sensibile commune, etiã sub aspectum cadũt. quis enim oculis, aut asperam & læuẽ, aut humidã & siccã

linguam non agnoſcit. Si à lingua, vt audibili, & organo locutionis, ſigna haurimus, quæ locutio ſupponit, expirationem, exſufflationem, vocem, & nomen; aut blæſa eſt, aut balba, & alijs qualitatibus notata: ſi ab eadem vt organum eſt multorum motuum, aut eſt tremula, aut reſoluta, aut incontinens, aut inhorreſcens; & quia articulatio & locutio vocem & ſonum ſupponũt, quę à vocificis inſtrumẽtis efficitur, & ad quam ſum aliquem lingua præſtare videtur, vt docet Hipp. 3 *de mor. vul. com.* 2. cum ait: *Primum à lingua cæpit obſcura eſſe vox*, &c. idcirco dicimus, aut acutam edi ab eo vocem, aut magnam, aut paruam, aut queribundam, aut luctuoſam, aut claram, aut obſcuram, aut clangoroſam, aut raucam, aut denſam; quæ nempè vocem edit, factam à ſpiritu conglobato, & confertim impulſo; quamquam hæ vocis differentiæ proprie à laringe, aut trachea progignuntur. Si vt tangibile quoddam obiectum proponitur; aut eſt magis calida, aut minus, aut mollis, aut dura, aut ſqualida, aut aſpera, aut lenis, aut denſa, aut rara, aut hiulcca, aut ſolida. Tangibilem autem eſſe dicimus linguam, aut ab externa Medici manu, aut circumpoſitis illi partibus, vt palato, gingiuis; à quibus, cum inſit vis tactiua, cognoſci poteſt penes tactibiles qualitates, qui-

quibus prædita eſt. Si verò, vt ſenſoriũ tangẽdi ſumitur, cum abſit à naturali ſua conſtitutione, non rectè de obiectis tractibilibus iudicabit, quæ ſunt in potionibus, & cibis, ſicut deguſtatilibus non rectè iudicat: idcirco ſentiet potiones nõ magis calidas, quam verè ſint; nempe ſecundum præſentem habitum, quem à febre obtinet, minus molles etiam quam ſunt; atque ideo iſta ratione inſuaues. Si proponitur vt organum guſtus, aut illius eſt, qui ab anima pendet, quæ in cerebro regnat, aut illius qui à natura manat, qui eſt in iecore, ventriculo & lingua, cum guſtatrix facultas ſit vna ex miniſtris coctricis, enutritricis & tunc, aut iudicat de eſculentis, & poculentis dulcibus, quod ſint amara, aut alio ſapore infecta, qui in ijs non eſt. Si ſumitur vt guſtabile quoddam obiectum, quod ob redundantia alicuius ſaporis, vel á ſe, vel à circumpoſitis partibus, inducitur; aut eſt falſa, aut amara, aut acida, aut dulcis, aut quacunque guſtatili qualitate ſignata. Nec perturbet aliquem, quod dixerim, linguam in morboſo ſtatu dulcem eſſe; cum ſapor hic illi conueniat in naturali. eſt enim lingua ſuo temperamento dulcis, quod quis linguam lingendo cognoſcet, & inde etiam, quod carneæ ſubſtantiæ ſapor dulcis ſit, etenim hanc ſibi connatam dulcedinem non

percipit

percipit, quod nullus ſenſus inſitam qualitatem cognoſcat: id quod viſum eſt etiam Ariſt 30 *ſect prob*. 4. cum dixit, linguam non poſſe conſtitutionem naturalem ſuam, quæ dulcis eſt, ſentire. Ita tactus temperamentum primarum & ſecundarum qualitatum, ex quo conſtat, non ſentit; vbi vero magnitudine, & copia exceſſerit dulcedo ſuccorum, illam deguſtatione tenet; ſiue ſit à dulci pituita, ſiue à ſanguinis optimi ſero. ſicut enim humanum corpus actualem calorem, quo conſtat, non percipit, ſed interdum qaemdam temporis ſtatum, cum ſanitatis beatitate fruitur; vbi vero vel exercitatione, vel febre, vel ambientis feruore innatus calor excreuit, iam tactus ipſe ad moleſtiam vſque capit; ita etiam, in exuberantia dulcis ſucci, ſaporem dulcem non poteſt non ſentire, qui obiecti externi vim, ad ſenſorium adpropinquantis illudque tangentis, habet. Denique ſi accipiatur vt organum locutionis, quod per eam ad intelligendum proponitur, aut ſermonem formare congrue poteſt, narrãdo multa de occaſionalibus morbi cauſis, & de ijs quę ſubinde emergunt, ex quibus in notitiam morbi venit Medicus; aut nullo modo, aut debiliter, aut vitiosè. ſi nullo modo ſermonem ferat, aut vitium eſt in cerebro, aut in laringe, aut in lingna, &c.

Quate-

Quatenus Linguæ ſigna morbos indicent.

CAPVT III.

NVMERO ſignorum, quæ à lingua capiuntur, inuento; conſequens modo eſt, vt quatenus hæc ſigna ſubindicem videamus. non enim omnino neceſſaria connexio eſt inter linguæ ſigna, & febres ardentes, humorumque copiam, quam notant: ita vti, ſi ſint ij morbi, neceſſario etiam illa ſigna adeſſe debeant. nam Galenus *in com. 5. libr. 7. Epid.* de hiſce ſignis loquens reſpectu ſuarum cauſarum, dicebat, rebus neceſſario non accidere ſigna; ſignificata vero per hæc neceſſario euenire. inflammato enim vtero, non ſemper ſigna, febrium æſtuantium aduenìunt; neque, redundante ſanguine, lingua rubeſcit; neque atra bile in liene aut in aliquibus inferioribus venis aceruata, linguæ color euariat; ſicut neque ob pallidam bilem, aut pituitam: è contra vero ex his ſignis neceſſario colligitur aut febris ardens, aut humorum copia, à quibus fit, ſiue in ventriculo ea contineatur, ſiue aliubi. Verum quidam Acriculi contra argutantur; & poſitis

his signis, colligi necessario illos morbos negant: aduersus quos, euersis eorum rationibus, differentes supra, linguam morbos aliquos significare ostendimus.

De modo, & tempore inspiciendi linguam.

CAPVT IIII.

CVM Linguam inspicere vis, quod toties faciendum est, quoties aliquid de morbo indicare potest; iube ægrotum, se erigentem, sedere in lecto, si modo id fieri, sine vllo incommodo possit; tantæque illi vires sint, vt se sustinere queat: aut saltem subnixum cubito se subrigere: tunc, aperto & diducto ore, rictum pandere iube; ita vt non solum priores linguæ partes, sed etiam posteriores, vsque ad columellam, & fauces in aspectum deducantur. solet enim, pura existente parte priori, posterior infici, quæ nisi aperto rictu quantusquantus est, in conspectum non venit: & interdum ruboris quippiam occupat palatũ, fauces, gingiuas, paristhimias, quæ isto modo oculis subijciuntur. Accedit interdum cum æger, vel ob musculorum maxillæ mor-

bum

bum, vel quia delirio tenetur, vel ob tumorē gingiuarum, & malarum, os diducere non valeat; tunc commodum est, vt immissis ori vectibus, quantum fieri potest, dentes mandibulę superioris ab inferiori dimoueantur, & absistāt. Nec solum secundum superiorem faciem, sed etiam secundum infernam, aliquando inspicienda est lingua. nam Hipp. 2. de mor. ait: *Oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & vena sub lingua crassa & nigra*; quæ omnia videri non possunt, nisi lingua inuertatur. Vt tota in aspectum lingua detur, commodum est eam leniter deprimere: & nisi lumen commode à dio, vel fenestris, vel ostiis commodum est, adhibeto a face, facula, vel lucerna, vel candela; quæ ita statuatur, vt aduersa aperto ori stet, osque sit ad lucem, non sub lucem, vt docet in Medicatrina Hippocrates. Tempus vero inspiciendi linguam, illud captandum est, cum neque maculari potest succo rei assumptæ; neque ablutione, neque detersionę depurgata est.

Linguam maxime ſanam & temperatam, regulam eſſe & menſuram aliorum, quæ ab illa recedunt.

CAPVT V.

QVoniam omnes linguæ quæ affectum aliquem morboſum demonſtrant, ſunt ſaniſsimæ & temperatiſsimę, & ſanæ & temperatę diſsimiles: ita vt quantum morboſæ ab hac quæ menſura eſt, diſtant, exacte ſpectare poſsimus; dicendum eſſe videtur, quæ ſit lingua ſumme ſana, & temperata. Profecto hominis ſecundum omnia mediocris & temperati, temperatam & mediocrem eſſe linguam, veriſimile eſt; tum ſecundum quoddam carneum colorem, tum mollitiem, & duritiem, tum ſiccitatem & humiditatem, tum ſecundum magnitudinem, & paruitatem, tum ſecundum acutiem, & hebetudinem quandam. Contra, quorum corpus non eſt eucaraton; ſicut à temperato multos habet caſus & deflexiones, ita eorum lingua in his qualitatibus intemperata agnoſcitur, ſecundum multas declinationes, quas cognouiſſe facile erit, ſi notitia maxime ſanæ & temperatæ lin-

linguæ præiuerit: vt enim lignea, vel ferrea regula, vbi adhibetur ad dirigendum, ostendit, quæ ligna curua, obliqua, & flexuosa sint; ita lingua, quæ omni ex parte mediocris est, monstrat eam quæ magis vel minus à mediocritate declinauerit. Esto itaque homo probe sanus, vigens ætate, bona corporis temperatura, qui vescatur cibis euchymis, exerceat se neque parum, neque multum nimis, sit in regione & anni hora temperata, & vt paucis omnia complectar, sit mediocritas in omnibus eius rebus, cuius lingua nec sicca nec humida, nec densior nec rarior, nec durior nec mollior, nec asperior nec læuigatior erit, quam optima natura ferat, sed in his omnibus qualitatibus vnam mediocritatem tenebit. Nec idcirco me affirmare velle quis credat, quamcumque linguam, quæ ab hac temperatissima paulum recedat, statim in ordine esse morbosarũ, videre enim est quorundam hominum linguã paulo sicciorẽ, asperiorẽ, rariorem, & interdum rimosiorem, quę tamen sana est, secundum illam sanitatis latitudinem quæ perquam ampla est; ad illam vero, quæ metrum est cæterarum, quæque sine medio & sine diuisione inculpabilis est, non esse sanam. quare quemadmodum posito certissimo signo in medio spatij cuiusdam, facile est iudicare quæ iacula attingant

propinquius, quæ distantius, quæ extra spatium omnino excidant: ita data sanissima temperatissimaque lingua, non arduum est videre non solum quæ lingua sana quantum ab illa distet, sed etiam elapsæ à termino sanitatis, quantum ab ea abierint.

De indicijs linguæ, in exercitio, vel ocio, in intemperaturis, & in anni horis.

CAPVT VI.

ETsi à natura glandulæ quędam linguæ suppositæ sunt, quæ à Græcis *sialocha*, à nostris *saliuatrices* dici possunt, à quibus ita irrigatur substantia eius saliuari quadam humiditate, vt ad locutionem, & succorum gustationem, sufficere posit; non est tamen quin penes varios corporis nostri status, magis minusque madida lingua reddatur; prout glandulæ maiorem minoremve vim humiditatis aliunde receptam, in eam effuderint. Quare ociosorum hominum & bibacium lingua madidior est; & eorum qui caput habent humidius, quibusque ab eo plurima pituita in subiectas partes descendit: & ij et-

ijs etiam quibus, vtpote ventriculo humidiori, ob tunicæ continuitatem, saliuosa materia in palatum & linguã ascendit. Itidem anni hora hyberna & australi, & pluuia linguæ hominum magis madescunt. Contra, exercitatorum linguæ, quorum est exercitatio in sole, vel per continuationem arescunt, & in vniuersum omnibus æstiuis temporibus. Temperaturá pituitosis, & melancholicis saliuosus humor abundat: idcirco necesse est & linguas humectiores esse; illis ob copiam natiuæ humiditatis; his vero, quia melancholicum succum natura consequi solet aquosa substantia; ideoque ab Hipp. aliquando *aqua* appellatus est. Contra, biliosorum subarida lingua est.

De significatis linguæ in vigilia & somno.

CAPVT VII.

QVoniam contingit quosdam ante somnum sitire, qui deinde a somno non sitiunt, & quosdam non sitientes in vigilia, statimà somno sitim sentire: dicendum est in ijs subarefactum corpus, & linguam à vigilia per somnum, madescere, concoctis iam plurimis succis in visceribus, & ad extima, quietę finita, expulsis: in his vero retractos per

somnum ad interiora succos, os, & linguam exsiccatam relinquere; qui vbi primum recurrunt ad linguam, quod præcedente vigilia fit, omnem sitim extinguunt. In vniuersum autem omnis vigilia arefacit, sicut somnus irriget, & humefacit. Et licet quidam, *ex Apho. 27. 5. lib.* à somno sitim contrahant validam, vel ex defectu humidi, vel ex potu vini meracioris, calorem generantis; idem tamen somnus superueniens, vel cocto eo, & ad interna deportato, quod sitim faciebat, sitim extinguit: vt vniuersalius sit sitim delere, quam inducere. nam, præterquam quod somnus quies est, cuius proprium est humefacere, & tum dormiens & os continet, & auram frigidam introducit; quæ tria sunt quæ sitim præcauere possunt, vt *2. Epid. com. 3.* docet Hipp. Neque quis me reprehendat, quod arefacta lingua, sitim effici credam, cum eius proprium subiectum sit ostium ventriculi. nam, & præter illum, à iecore, & renibus, & pulmone, corde, & intestino ieiuno fieri præmonuerunt maximi viri, siue illa membra, vt subiecta eius, siue vt causa, sint. Insidet autem facultas in lingua cognoscendi, & appetendi sapores esculentorum & poculentorum; at appetitio poculenti est sitis. Ieiunium etiam, & fames linguam exustam reddunt, & quamquam ieiunã-

tibus

tibus quibuſdam, vel ob capitis, vel ventriculi humiditatem trahantur ſeroſitates ad os, calore vndique, quod humidum eſt, alliciente, vnde lingua ſæpiſsime ſuccis madeſcit) nihil eſt tamen, quo minus à rorido & ſubſtantifico humore deſpolietur. Sitis etiam non morboſa leuem aliquam linguæ exſiccationem ſupponit.

An omnes ſuccorum colores, qui ſpectantur in Vrinis, inſint in Lingua.

CAPVT VIII.

INQVISITIO hæc ortum habere videtur ex Hipp. ſententia toties memorata: *Lingua Vrinæ concolor.* Nam ſi Lingua ab iiſdem ſuccis tingitur, à quibus vrina, videtur etiam omnes colores ſuccorum recipere, quos recipit illa: colores enim à ſuccis, qui in ipſis ſunt, imprimuntur. Lis hæc non multo negocio dirimetur, ſi breuiter omnes vrinæ colores percurramus & expendamus, an iij in lingua inueniantur, & an Hipp. & Galenus omnes ei attribuerint. Scire igitur expedit, in vrina du-

 plicem

plicem inesse colorem, alterum liquoris, alterum contentorum. cum quęrimus, an omnes colores insint in lingua, quot sunt in lotio, de ijs intelligimus, & qui liquorem, & qui contenta tenent. Primus igitur est in vrina albus color, cum suis speciebus, cristallino, niueo, aqueo, qui summe intensi sunt in albedine colores. Et primo quidem ālbū colorē esse in lingua à pituita, siue quæ à ventriculo ascendit, siue quæ à capite descendit, siue quæ à venis in eam resudat, tum sæpè testimonio Hipp. & Gal. tum ipso sensu notissimum est; album vero, cristallinum, & aqueum, quia hi colores cum perspicuo consociantur, cum album pituitę in ea diaphanum non sit: nec etiam albū niueum, quia summe intensum est; at album linguæ remissum esse necesse est; cum spiracula fumorum, & fuliginum eam quoquo pacto deturpent, & remittant. Sunt & alba remissa in vrina, lacteum, glaucum, & caropum; quorum illud lacti, hoc cornui perlucido, tertium camelinis pilis subalbidis simile est: & hæ quidem albi diminuti species in lingua insunt; quamuis nec Hipp. nec Gal. de albo linguæ loquentes has species raro, aut nunquam distinxerint. Atque hi albi colores maiorem & minorem succorum cruditatem innuunt, prout vel magis intense vel refracte alba sunt: de quo-

quorum ſignificatu, cum aliis agemus *in libr. de iudicijs, & ſignificationibus linguæ.* Sunt etiam in vrina ſuſpiceus, & ſpiceus; ſubpalearis, & palearis; ſubrufus, & rufus color (omnia enim hæc nomina vnum eumdemque flaui notant, etſi à variis rebus mutuata) qui iam à ſumma cruditate recedunt, quos etiam linguam tingere, nemo dubitare debet, ab ea nimirum bile, quæ pallida, vel rufa dicitur, & quæ ſeroſitatem exigua parte infecit. Eſt deinde vrina ſubflauâ, ſubfulua, ſubcrocea, & crocea (quę nomina idē ferè notāt) à bile paulo intentiori colore facta, qui coloris gradus dilucide & frequenter in lingua agnoſcuntur. Ad hæc in vrina, & lingua pariter fuluus, flauus, aureus, & ictericus color à calore adhuc maiori genitus. Iam etiam in lingua pariter, & vrina ſubcroceus, & croceus color inſunt, quorum alter Cartami Flori, alter Croci Corcyræi, aut potius ijs in aqua diſſolutis ſimiles ſunt; nam flores integri potius quemdam ruborem præſeferre videntur, quam flauitiem. Sequitur hos in lingua & vrina, ſubrubeus, & rubeus color, qui lapidi Armeno, aut ceraſis quibuſdam quam ſimillimus eſt: & vrina quidem à ſanguinis ichore, vel rubra bile tingitur; lingua vero, vel ab ijſdem, vel a ſanguine, qui vel per

mo-

modum nutrimenti, vel per influxum ad eam deuenit. Vinoſus color, qui eſt quorundam ſuccorum rubeorum, quos etiam cados cum recentes ſunt inficere accidit, paulo intenſior eſt, quam rubeus; hunc in lingua mihi vidiſſe non contigit, quamuis in ea inueniri poſſe non diffitear. Venetum hunc colorem, qui ex puro albo & nigro, æqua portione, confuſus gignitur, quique tunc redditur perbelle, cum atramentum ex æquo miſcetur calci, in vrina quidem videre eſt; & in lingua. Paſsim etiam & lingua & vrina virides videntur: ſiue viride accipiatur pro pallido, ſiue pro vero viridi, qualis eſt color herbaceus. Quare ſæpe Hippocrates appellat linguam cum virore pallidam, ſiue interpretari velimus, & viridem, & pallidam, penes diuerſas partes ſignificari; virides quidem à bile porracea, vel glaſtea; pallidam vero ab eadem, ſeroſitate aliqua dilutam; ſicut viridem intelligimus eam quæ pallida eſt, abuſiuè. Oleoſam, ſeu oleagineam ſæpe dictam meminimus vrinam, ſiue ſit illa, quæ apparentiam habet olei, ſiue illa, quæ ſubſtantiam oleoſam, ſiue colorem: lingua vero nulla eſt eiuſmodi, ſed ſolum ſpumam habet, vel bullam ſubliuidam, velut ferro in oleum intincto excitatam, vt Hippocrates docet *in lib. 3. de morb. & in Coac.* Quod ſi quis quærat, cur

in

in colliquatione febrili, in qua tota ſubſtantia adipoſa liquatur, ſicut oleoſa ſubſtantia in vrinis innatat, ita etiam linguam non inficiat, cum alij ſucci, per vrinam emiſsi, in lingua etiam appareant, cur, inquam, id fiat? An, vt Chymici aiunt, olea non aſcendunt, ſed deſcendunt, vbi ab aquis ſeparantur, quare apud illos eliciuntur per aſcenſum, non per deſcenſum. Liuida enim datur vrina; quæ via quædam eſt à nigro, quæ tunc fit, cum nigra albis, dupla portione, non æqua, miſcentur: linguam etiam liuidam fieri à fuligine quadam diluta, à ratione non abhorret, vel à diluto nigro & frigido humore plumbi colorem referente. Nigram vero linguam & vrinam eſſe ſupra diximus, ſæpius illam, rarius iſtam: nam ſi ex ſententia Euriphontis à Galen. probata *com.* 1. *in* 6. *Epid.* loquentis, de febre liuida, cutis tota & labia liuida fieri poſſunt, qualia moris exeſis fieri ſolent, quid vetat & linguam pari liuore infici.

Vtrum

Vtrum colores in Lingua, & Vrina sint aliunde, quam ex humoribus.

CAPVT IX.

SI per humores intelligimus quippiam distinctum à vaporibus, & halitibus; dicendum est vrinam, & linguam, sed magis istam, quam illam, tingi ab alia causa, quam humoribus nam & linguam fuliginosi halitus nigrefacient, & vrinam vapores, qui a quibuscumque humoribus sustolli possunt, colorant, sicut facies ferrariorum a fuliginibus carbonis & ferri nigresiunt. Quin & vrinam putauit Actuarius *lib. 1. de praeuid. ex vri. cap. 6.* à solo calore febrili, sine vlla, aut vaporis, aut humoris mistione in senibus, sub rubeo colore tingi, quod profecto non est à ratione alienum, cum autor *libelli de coloribus*, Arist. attributi, ostendat à calore & alteratione, coctioneque per eum facta, mutari colores, quod experientia nobis probat in terra, quæ in squalloribus aquilonaribus summisque frigoribus albescit, flantibus vero austris, subfuscatur.

De Lingua alba.

CAPVT X.

CVM decreuerimus pleroſque omnes eſſe in lingua colores, quique ij ſint; dicendum eſt modo de ſingulis ſeorſum; vt inde, quid ſignificent, enarrare poſsimus. Et quoniam nobilior eſt, notior, & frequentior in lingua albus color, de albo prius dicamus. Albam linguam ſæpe videre licet, à quodam illi humore albo ſuperextenſo. Sublinitur autem hic humor, aut ſecundum totam linguæ amplitudinem, aut ſecundum oras & margines, aut ſecundum lineam diuidentem, aut ſecundum primores & poſteriores partes. De prima candoris ſpecie Hipp. ait *in Coac. Peripneumonicis quibus lingua tota alba & aſpera fit, ambæ pulmonis partes inflammantur: quibus vero, dimidium, vna, iuxta quam apparet.* Dimidium hic intelligendum eſt ea pars Linguæ quæ per longitudinem à linea intermedia diuiditur; ſiue ſit ad ſiniſtram, ſiue ad dextram; quod inde liquet, quia veriſimile eſt ſiniſtram partem à ſiniſtra pulmonis inflammari, dextram à dextra candefieri.

De alba lingua, iuxta diſtinguentem lineã, & iuxta

iuxta oras, ſunt illa Hipp. in Coac. *Lingua, circa biſidam ſui partem, velut ſaliua alba, obduci, febris remiſsionis ſignum eſt*, &c. & paulo infra ait: *eadem ſignificat etiam huiuſmodi, ſi circa ſummam linguam fiant*. Verum minus intelligit ſummam linguam; id eſt marginales partes eius, vel acumen. Illud quidem non prætermittendum eſt de lingua alba, vbi cœperit denudari ab albore, primores partes prȩſagire febris declinationem. in omni enim febre putrida in principio exalbatur: ſiue febrilis calor pituitam à capite liquet, ſiue ſolum à ventriculo aſcendat. Inſuper de lingua alba illa ſunt 7. *Epid.* *& ſex. 1. lingua à ſomno, ſi non collueretur, ſub alba præ ſiccitate, & ruptiones vlcerum circa ipſam*: item 7. *Epid. Theodori vxori lingua perpetuo alba valde*, & eodem loco, *Ariſtocrati, circa ſolſtitium hybernum, lingua ſubalbida*. ex quibus locis colligere licet albedinem linguæ ſemper quidem à pituita fieri, non tamen pituitam in illo morbo, in quo eſt lingua alba, eſſe humore febrificum: quia in omni fere febre, maxime in principio, ob vicinitatem, & ſupereminentiam cerebri ad linguam, liquante calore febrili pituitam, albedine lingua tingitur. Cæterum, quod magis negocium facit, eſt quod albedo linguæ videtur ſignificare ſiccitatem, non pituitam: nam Hippocrates 7. *Epid*. in Hiſt. Pythodori

thodori ſic habet: *Lingua ex ſomno, ſi non colluеretur, ſubalba præ ſiccitate*: hoc eſt, ſiccitas efficiebat albedinem in lingua: at cauſa ab effectu, tanquam à notiori, nobis ſignificatur: ergo albedo ſiccitatem notare videtur. Dico, per ſiccitatem connotari febrem putridam, quæ paſſio eſt calida & ſicca: ſiue vtraque qualitas intra ſiue extra eſſentiam collocetur: à febre igitur, cum ſit affectio calida, liquatur humiditas pituitoſa de capite, quæ in linguam deſcendens eam albore inficit.

De Lingua flaua.

CAPVT XI.

LINGVAM fieri flauam ſæpiſsime in pleriſque morbis, nemo eſt qui dubitet. idcirco Hippocrates in Coac. *Quibus pleuriticis lingua in principio bilioſa fit, ſeptima die iudicantur.* Hic enim lingua bilioſa notat flauam, ſumendo bilioſum pro ſuo celebriori ſignificato; nempe pro flauo: de qua iterum Hippocrates: *Lingua flaua, verum progreſſu temporis, nigreſcit. & 3. de mor.* loquens de quadam Peripneumoniæ ſpecie, ait: *ſpumoſam ſaliuam, & te-*

nuem primum ſpuit, lingua flaua eſt, verum progreſſu temporis nigreſcit. Hipp etiam acutorum quarto; *quibus os amarum eſt, vomere confert, & ventrem ſubluere.* Vbi notandum, hoc in loco amarum ſubnotare flauum: nam bilis flaua præſeritm amara eſt, & connotant ſe viciſſim in hoc humore, amarum, & flauum; flauum, & amarum; quomodo in melle ſe connotant dulce, & flauum, & contra. Quod ſi dicas, argumentando ab ijs, quæ extra corpus fiunt ad ea quæ intus; quod ſæpe facit Gal. præter biliarios, & flauos ſuccos, alia etiam amara eſſe in nobis, vt atri humores, per aduſtionem geniti; & fuliginoſa omnia, quæ flaua non ſunt, ſed nigra, ergo per amarum non licet hic apud Hipp. interpretari bilem flauam, quæ amara eſt: cum & atri ſucci, & fuligines amari ſint. Reſpondeo, os noſtrum fieri frequentius amarum per bilem flauã, quam per atrum humorem, & fuliginem: & locum HIPPOCRATIS interpretandum eſſe de ijs, quæ frequentius fiunt; vt etiam Gal. in com. interpretatur: quamuis. negandum non ſit, aliquando a fuliginibus & atro humore, os amareſcere Et 2. *de morbis* HIPPOCRATES: *ſi bile infeſtatur homo, febris ipſum corripit quotidie, ac dimittit, dimittit autem in meridie, & os amarum eſt.* Cum oris amaritudo ſit ſæpius à bile

flaua

flaua, (eſt enim eadem flaua & amara bilis,) exiſtimandum eſt hic, per os amarum & linguam amaram, quæ pars eſt vna ex ijs quæ ore continentur, connotari linguam flauam; quamuis non ſemper, cuicunque eſt os amarũ, ei fit lingua flaua. nam interdum vapor à bile flaua ſuſtollitur in linguam & palatum, & amarorem concitat; nullo pacto linga flauitie infecta.

De Lingua nigra.

CAPVT XII.

FREQVENTISSIME, in acutis febribus lingua nigritiem induit: idcirco Gal. *com* 1. *in* 6. *Epid.* circa principium hæc habet: *In vteri phlegmone, febres valde vehementes concitantur, & calidæ, ob quas lingua, velut à fuligine, nigreſcit.* Et *lib. de affec.* Hipp. circa principium. *Si vero externæ partes, circa principium, non valde feruidæ fuerint, verum internæ, & lingua aſpera, & nigra ſit,* &c. Et 2. de morb. *Lingua primum flaua eſt, dein progreſſu tēporis nigreſcit.* Et 3. *de morb.*

loquens Hipp. de febre ardente quadam. *Febris tenet,& sitis vehemens,& lingua aspera,& nigra.* Fit autem non solum lingua nigra; quia fuliginosum corpus eam tingat, vel ater humor, exudans è venis; sed etiam quia venæ quæ sub ipsa sunt, crassæ & nigræ euaserint: vt 2. *de morb* Hipp. *Connotatur sæpißime lingua nigra, quæcumque scribitur adusta: adustio enim in ore duo conducere solet, siccitatem & nigredinem.* 3.epid. com. 1. Gal. vel siccitatem quidem semper, nigredinem frequentissime. Fuliginosa etiam idem notare solet ac nigra: nam omnino quod fuliginosum est, nigrum intelligitur, licet non contra, quidquid nigrum est, fuliginosum sit: nam lingua, etiam ab atro humore, nigra fieri solet. De nigra lingua illud etiam est Hipp. in Coac. *Linguæ tremulæ quandoque etiam aluum liquidam faciunt: denigratæ in his etiam celerem mortem significant.* Sed quæret quis, cur fauces, & partes circa columellam in acuta vel ardenre febre sæpe inflammantur, & rubefiunt: lingua vero fuliginibus tingitur? An quia fauces propinquiores sunt accenso vapori, qui è ventriculo per gulam, & è pectore per trachæam, expirat: lingua vero remotior est, & quæ iam progressas fuligines, & extinctas excipit? Adde linguam substantiam esse magis raram quam fungosam, & idcirco magis aptam

aptam, vt fumoſos vapores rapiat. Videmus enim fornaces laterum calcarias longe à loco, in quo ignis dominatur, fuliginibus nigrefieri, focum vero ipſum inflammari, & rubefieri.

De Lingua pallida.

CAPVT XIII.

FIT ſæpe & lingua pallida, ſiue ſolum talis ſit, ſiue etiam albicans. Hippocrates enim in Coac. *Lingua qualis eſt peripneumonicis, cum pallore albicans ab initio ſemper, & capitis dolor*, &c. fit & pallida cum liuore quodam, dum vtroque colore, nempe palliditate, & liuiditate, tingitur, vel per viridem & pallidū, eandem corporis colorati qualitatem intelligimus. nam homines pallidos ſolemus virides appellare, vt 6. *Epid. com. 5.* docte. Galenus & Hippocrates: *Linguæ virides bilioſæ ſunt*, id eſt, pallidæ. Idem eodem loco: *Periculoſiſsima cum virore pallida.* Et 2. de morbis: *Oculi cum virore pallidi; itemque lingua inferne.* Ex quo loco colligitur, linguam non ſolum ſecundum ſupernam ſuperficiem, ſed etiam ſecundum infernam, ſpectandam eſſe aliquando. Et rurſus in

Coac. *Quibus pleuriticis lingua in principio biliosa, septima die iudicentur*. nam simpliciter biliosa significat pallidam, vt docet Galen. 6. *Epid. com*. 5.

De Lingua liuida.

CAPVT XIV.

VIa quædam est liuidum ad nigrum; proinde quæ nigrescunt, solent prius liuescere. De liuida lingua illud est Hipp. in Coac. *Progressu autem temporis lingua exasperatur, & liuescit.* Est etiam lingua liuida, per bullam liuidam, quę in ea spumescit; de qua Hipp. *in* Coac. *Bulla subliuida fiente in principio, qualis est ferri tincti in oleo, difficilior solutio contingit*. Pertinet ad linguam liuidam etiam illud Galen. 6. *Epid*. loquentis ex sententia Euryphontis, eamque probantis, de febre liuida: *Et cutis tota liuida est, & labia qualia moris exesis esse solent*. nam cum ex sententia Arist. *sec*. 38. *prob*. 4. tot coloribus tingatur lingua quot cutis, cum tota cutis liuida sit, etiam lingua talis euadere potest; præsertim cum labia, quæ sunt lin-

linguæ valde proxima, & eadem tunica contecta, in hac febre liuescant. *Et 7. Epid* in describenda febre vxoris Hermoptolemi: *Cum bibisset, vt quæ difficulter deglutiret, surrexit, & cor se sanasse dixit; lingua liuida ab initio, occasio videbatur ex horrore post balneum, facta esse*.

De lingua rubra.

CAPVT XV.

Dicimus linguam rubram eam, quæ morbosa est, non sanam, quæ suapte natura carnea est, & rubicunda. Rubescit igitur lingua, præter naturam, ab inflammatione, de qua Hipp. 3. *Epid.* narrans historiam Mulieris, quę angina laborabat apud Bitonem; cui vox obscura erat & lingua rubens. De eadem lingua rubenti Hipp. 2. *Epid.* loquens de quadam specie anginæ: *Linguæ posterior pars inflammatur*, id est, linguæ pars quæ ad columellam respicit; sed, quod inflammatur, necessario rubescit; cum inter signa pathognomonica phlegmonis sit rubor, ex Galen. sententia, sexcenties iterata. Rubor linguæ non vnius modi est; alter enim intensus est, qui ad nigritiem quamdam vergit, de quo interpretandus videtur

Hipp *2. de morb.* cum ait: *Febris tenet , & sitis vehemens, & lingua aspera, & nigra, & cum virore pallida, & sicca, & vehemẽter rubicunda*; id est, eo rubore rubra qui in nigro rubescit. Et 7. Epid. *Balis filius, cum ex mente penitus aberrasset , sexta die lingua praua subrubra , & vocem læserat inter aberrandum.* & hic est alter ruboris modus, qui ad dilutum declinat, idcirco appellauit Hipp. subrubram linguam.

De Lingua maculosa.

CAPVT XVI.

LINGVA maculosa dicitur esse illa, non quæcumque quomodocumque colorata; sed quæ maculis quibusdam, præsertim rubris, aut ad rubrum vergentibus, aut albidis compungitur, de qua locutus est Hippocrates 2. *Epid. sect.* 3. cum ait: *Scopo ex muccosis, biliosis, & faucium inflammatione, malo victu vso, aluus suppressa est, & febris acuta facta, & lingua florida, & vigilia sine somno.* Nam hic maculosam linguam florida notat; cum apud Hippocratem maculosum, floridum indicet; maculas, per translatio-

tionem, exanthemata, ſeu dicas, efflorescenti-as nominat, quia, vt reor, duabus in rebus maxime maculæ cutis cum efflorationibus conueniunt. vna eſt variegatio colorum, nam & rubeſcentes, & nigræ, & liuidæ, & cœruleæ videntur hę maculæ, ſicut & flores; altera eſt ſubita eruptio, & inſenſibilis; qua in aſpectum veniunt vtraque greſſu (vt ita dicam) inuiſibili, & in lucem emergunt, ita vt factas fuiſſe, non ipſas fieri videamus.

De Lingua decolori.

CAPVT XVII.

LINGVA decolor eſt illa, quæ vitioſo conſtat colore; vitioſus autem eſt, qui degenerat à proprio, & natiuo colore. Eſt autem proprius Linguæ color rubeus; omnes alij colores ſub hac voce continentur; præſertim ij qui viuidi & vegeti non ſunt, vt albus remiſſus, & niger retuſus, & eiuſmodi, de quo Hippocrates 7. *Epid. prope finem*, in Hiſt. Androphani, cuius lingua decolor erat, & vox Peripneumonica, quæ indicat non vnum genus morbi, ſed plura: ſicut

plures sunt coloris species, quæ hoc nomine comprehenduntur: quamquam in Androphane videtur significasse febrem quamdam, ex genere diuersarum continuarum, qua etiam post multos annos facta recidiua interemptus est. vnde dicendum est in eo fuisse linguam decolorem, id est, flauam, aut pallidam, aut viridem, cum siccitate multa, ob quam impedita lingua, loqui non poterat, nisi multa vteretur colluitione.

De signis Linguæ, vt est organum gustus.

CAPVT XVIII.

PRopositis signis, quæ à lingua, vel re visibili, sumuntur; consequens est, vt ea hauriamus quæ capiuntur ab ea, vt organum est gustus: fit enim lingua sæpe vel dulcis, vel amara, vel salsa, vel austera, vel alia quacumque gustatili qualitate insignita. nam organa sensuum, post obiecti receptionem & iudicium, talia fiunt, qualia sunt ipsa obiecta, alia quidem spiritali, alia materiali quodam modo: vt con-

confeſſa res eſt de inſtrumento guſtus, hoc eſt, lingua, quæ ſuccos recipit, & retinet, qui ſunt ſaporum fundamenta, ita vt amara, dulcis, ſalſa, acida, & eiuſmodi qualitatibus infecta reddatur. per hos enim ſapores lingua ſuccorum copiam redolet. Quod os, & lingua ſæpius fiant amara, manifeſtum eſt. non enim frequentius alia guſtatili qualitate inſignitur, vnde ſæpiſsime audias ægrotos de linguæ amarore conqueri. liquet inſuper ex illo Hipp. 4 acutorum: *Quod, ſi os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem ſubluere.* & ex illo 2. lib. de morb. *Detinet autem febris in meridie, & os amarum eſt: vbi de tertiana quadam loquitur.* Fit & lingua ſalſa à pituita ſalſa, quod plerique omnes in dies experiuntur; preterquam quod id Ariſtot. docet loco problematis citato. cum querit Cur lingua ſalſa reddatur. & Hipp 4. acut. loquens de quodam legitimo genere cauſi, ait linguam fieri aſperam, ſiccam, ſalſam. Et in Coac. *Vterogerentibus fluxiones ſalſugineſæ in faucibus.* Vix eſt, cum fluxio ſalſa deſcendit in fauces quin linguam etiam non afficiat. Et lib. 2. Epid. ſex. 5. *à ventris turbatione, aut à tuſſi ſi cancer fiat, os amareſcit,* & 7 Epidem. 16. *Os valde ſalſuginoſum ſiccum fiebat.* Sæpe fit dulcis morboſe, vt ſupra explicauimus, dum linguæ naturalia perſequeremur; deni-

denique ſit & acida, quod & in ventriculi acida cruditate experimur. & Ariſt. docet probl. cit. dum quærit, cur lingua fiat acida. & Hipp. 2. *de morb.* loquens de morbo nigro: *Nigrum vomit velut fæcem, quandoque cruentum, quandoq; velut polypi atramentum, quandoque acre velut acetum,* &cæt. Si vomit acre, velut acetum, fieri non poteſt quin lingua acida ſiue acris reddatur, dico *acris*, prout nunc conuertitur cum acida: ſcio enim acris aliam etiam qualitatem notare, qualis eſt ea quæ valde calida & ſicca eſt, vt in pipere, & zenzibere noſcitur: quoniam etiam apud Græcos voci ὀξὺς reſpondet noſtra latina *acris, acutus, acidus*, ſolet plura ſignificare, nempe acidum, acutum, tum in qualitate, tum in figura.

De Linguæ ſignis, vt eſt obiectum tangibile.

CAPVT XVIIII.

LINGVA, ſub ratione tangibilis obiecti, aut eſt ſicca aut humida, tenſa aut laxa, mollis aut dura, aſpera aut lenis, denſa aut rara, in 7. *Epid.* circa prin-

principium: *Linguæ raritas profuit.* Linguam in acutis febribus ſæpe fieri aridam, percurrenti Hiſtorias ægrorum primi Epidemiorum, facile innoteſcit. nam illi, qui incaleſcens cænauit, & potauit largius, lingua perarida facta eſt. Et Clazomenio, qui iuxta Phrinichidij puteum decumbebat, & Hermocrati, qui ad nouum murum iacebat, lingua facta eſt aduſta, quas vt interpretatur Galenus, omnino ſiccas fuiſſe demonſtrat. Et Sileno lingua erat arida. Mollem etiam & teneram fieri linguam, præter naturam, docet illud Hipp. in Coac. *Lingua, citra rationem, tenera fiens, & cum cibi faſtidio nauſeabunda: cum frigido ſudore*, &cæt. Et *lib. de affect.* loquens Hipp. de quodam tumore linguæ à pituita, quæ ſi fuerit tenuis œdema facit, qui eſt mollis & laxus tumor, à quo lingua molleſcit. Sed dubitabit quiſpiam, ſi lingua eſt organum tactus, quomodo eſt obiectum tangibile: cum obiectum, & organum diſtinguantur re ipſa, & loco. Reſpondeo, nullo pacto inconuenire, vt idem ſit obiectum, & organum facultatis, ſi reſpiciamus ad diuerſa. nam Lingua eſt organum facultate inſtructum reſpectu externi obiecti, vt calidi cibi, frigidi, humidi, ſicci: eſt obiectum tangibile, vt dixi, ratione qualitatum tactilium, quæ in eo ſunt, quasve febris calor ſuperinduxit, vt

ſiccita-

ſiccitatem, duritiem, denſitatem, aſperitatem, & ſcabritiem, per quas lingua, ſub tactum manus medici, & partium ſibi circumſtantium, cadere poteſt; cum his qualitatibus non donetur, quod eas ab obiectis, poſt ſenſationem, recipiendo retinuerit: quæ res eſt organorum ſenſitiuorum propria. Qua in diſpoſitione dum eſt, ſi accipiatur; vt organum ſentiendi, tunc tale erit indiſpoſitum & ineptum ad tangendum, nempe vel ob ſiccitatem, vel duritiem, vel denſitatem, vel ſcabritiem. Dura & tenſa fit Lingua, ob tumorem aliquem; quare Hippocrates lib. 2. de morb. *Si tuberculum ſub Lingua, hypogleſſis vocatum fiat, Lingua tumeſcit, & pars ſub ipſa, & externa ad tactum dura eſt.* Iterum HIPPOCRATES libro de victus ratione, in morbis acutis: *Lingua autem cum ex venis humidum accipit* (loquitur de præciſione columellæ) *atque ex lata rotunda, & ex bene colorata liuens, ex molli dura*, &c Datur & denſa Lingua. nam Hipp. *prorret. ſex.* 4. ait ſiccas & denſas linguas eſſe phreneticas.

Eſt autem denſa Lingua ea quæ multa humiditate abundat, quare denſam Linguam fieri poſſe nemo negat; ſimul vero ſiccam & denſam, quamuis id textus HIPPOCRATIS affirmet, negat tamen GALENVS in com. & addit, corruptam eſſe vocem, & legendum, pro

denſa

densa, asperam; & subdit: *primus humiditatis defectus facit quidem Linguam densam, maior vero asperam; immoderatior siccitas perrumpit eam, sed adhuc madentem: non secus ac diutini squallores pinguem terram.* Sed parcant mihi manes diuinissimi viri; non video cur lingua simul sicca & densa esse non possit; nam antequam, multo sicco rupta, dehiscat, sicca simul & densa est, ob defectum humidi resoluti: & licet humiditas resoluta videatur inducere raritatem, non densitatem; eo quod vacuitatem sequatur potius raritas quam densitas, tamen, quia partes quæ restant magis inter se compinguntur & constringuntur, educto humido tenui, quod eas dilatabat, rarefaciebat, & suspendebat, densiores redduntur: & etiam post hiatum, fit sicca, & densa, cum immodicè siccus calor eam suxerit, & combusserit: & licet tunc sit etiam humida & madens, respectu resoluti humoris, qui multo maior pars est; sicca dicitur. Præterea si credit GALENVS, in secundo defectu humiditatis, vltra quem est alius immoderatior, linguam fieri siccam & ásperam, cur in tertio defectu cũ perrumpitur & dehiscit, qui est adhuc intensior, non fit simul sicca & densa; sed humecta & madens? nam etsi aliqua pars humoris supersit, multo maior etiam absumta est. An quia sic fatiscens (putabit aliquis) propter

ex-

expressum humorem, madefit extrinsecus, ita vt cerni sicca non possit: sicut corpus hominis sulphureo & nitroso balneo perfusum, exsiccatur, intrinsecus tamen humefit. An fortasse censuit Gal. quod siccum est, cum antea fuisset madidum, non posse fieri densum, sed rarum: quod materia multa detracta, non quod materia multa infarcta sit. At ego respondeo, densum esse duplex. aliud, quod multa humiditate refertum est: aliud. in quo propter materiæ eductionem, partes ex compressione sibi viciniores vicissim fiunt. De primo verum est, simul siccum & densum esse non posse: quia densum dicit summe humidum, cui repugnat esse siccum: de secundo nostra sententia verissima est, quod à sicco pendeat in esse potius, quam destruatur. Est & illud Hipp. de densa lingua 7. Epid. *Nicolai Concubina cum febre ardente, lingua aspera valde, densa, subalbida, siticulosa.* Qui locus etiam sententiam nostram confirmat. nam si lingua simul aspera, & densa est: ergo multo magis lingua simul sicca & densa est: cum asperitas maius quid sit, quam siccitas: præsertim addita dictione *valde*, quæ intensionem notat. Linguam fieri asperam, ob quandam partium inæqualitatem, quarum quædam subsident, quædam extant, aucta immodice siccitate, nemo ambigere debet. nam

Hipp.

Hipp. 4. acut. *Si in febre hyemali lingua aspera reddatur*, &c. Et *lib. de affect.* paulo infra principium; *Si vero externæ partes non valde feruidæ sint, verum externa, & lingua aspera, & nigra sit, huic pharmacum ne dederis.* Et rursus 2. *acut.* loquens de alio genere causi: *Aluus soluta, sitis magna, lingua aspera*, &c. Redditur & alio modo aspera lingua, non ob siccitatem, sed potius ob humoris copiam, cum pustulis interpungitur, & asperatur. nam Hipp. *libr. de vul. capit.* in quem fecit Galenus doctissima commentaria (quæ vtinam extarent) loquens de inflammatione quam consequitur febris in eius fractura: *Cum vero iam suppuratum fuerit, in lingua pustulæ suboriuntur, & desipiens æger moritur.* Potest & rimosa lingua quodammodo dici aspera, quia quicquid rimosum est ad tactum sentitur asperum, licet rimosum esse sit quid vlterius quam asperum, & à maiore siccitate producatur. Ad linguam asperam pertinere videntur illæ collectiones grandinosæ, vel miliaceæ: de quibus loquitur Hippocrates 2. *Edem. sect.* 3. quæ circa linguas eleuantur collectiones, & humiles calculi: sed clarius 4. *Epid. sect.* 1. loquens de Teriandri Vxore, cui lingua exasperabatur velut grandine multa.

De signis quæ sumuntur à lingua, vt est instrumentum tactricis virtutis.

CAPVT XX.

NON hic tactricem virtutem accipio, prout conuertitur cum gustatiua; omnis enim vis gustandi quandam exercet tangendi operationem; sed tactiuam vim capio eam, quæ tangibilia obiecta percipit. Igitur si lingua, tangendo obiecta primarum qualitatum, vel secundarum, ob sui intemperiem, non bene iudicat, est aut nimis calida, aut nimis frigida, aut sicca, aut humida, aut alio modo intemperata. Quare si à saliuosa substantia fiat nimis madida, cibos iudicabit insipidos; si multum calida, cibos calidos existimabit minus calidos; si ita calida, vt à validitate obiecti superetur, respuit illud cum fastidio, & molestia se affici sentit: similiter si multum sicca, siccos cibos videlicet minus siccos; sed tamen summe humidos remedij causa appetet. Affectum quendam frigidum sentit lingua, cum inhorrescit, vt proponit Hippocrates *in Coac.* Plerique ibi horrorem linguæ interpretantur horripilationem quandam corporis eius, & quasi

quasi quandam exasperationem, quæ solet frigefactis corporibus accidere. Sub hac ratione lingua etiam interdum dolens est; dolet autem vel ob inflammationem, vel vlcusculum aliquod.

De signis quæ capiuntur à lingua, vt est organum motus localis.

CAPVT XXI.

LINGVA mouetur ad omnes loci positiones, quorum ratione motuum deprauatorum, aut fit conuulsa, aut tremula, aut resoluta, aut flectendo cōtumax, aut *acratis*, id est, incontinens, vel vt interpretantur quidam, *impotens ad motum*, aut mouetur cum dolore; aut est exerta, aut celeriter mouetur, aut tarde. De lingua exerta loquitur Hipp. 3. *de morb.* tractans de pulmone, tumente præ calore, ait enim: *Cum pulmo tumet, præ nimio calore, repletus: tußis tenet fortis, & dura, & erecta ceruicis spiratio, & aceruatim spirat, & frequenter anhelat, & intumescit, & nares expandit, velut equus ex cursu, & linguam frequenter exerit.* Et 2. *de morb.* de eodem pulmonis affectu eadē inculcat. De lingua conuulsa capi possunt illa Hipp. 2. *de morb. mul.* circa principium:

Cum autem eiusmodi fuerint, tunc etiam antrorsum, & retrorsum neruorum distentiones fieri solent, à clauiculis, iuxta ad maxillas & linguam Et lucidius 3 *Coac. Errores mentis, cum voce clangorosa; conuulsa lingua: siquidem ægri in tremorem incidunt, vehementer insaniunt* De acrati lingua, id est ea, quæ impotentia quadam ægrius mouetur, loquitur 3. Coac. cum ait: *Acratis glossa*. &c *Et* 4. *acut com* 2. loquitur de lingua ad motum difficili: *Lingua autem cum ex venis humiditatem capit, atque ex lata, rotunda; ex bene colorata, liuens; ex molli, dura; ex facilè flexibili, flectenti contumax*, & cæt Et lib. 2. Epid. *Lingua haud facile mouebatur, atque acuta ipsis videbatur, atque exerta*. De lingua tremula Hipp. Coac. *Linguæ tremulæ quibusdam etiam aluum liquidam quandoque faciunt*. Et primo prædic. *Mentis perculsiones, cum voce clangorosa, Linguæ conuulsiones. & voces tremulæ fientes mentem alienant*. Et paucis interpositis subdit; *Signum sunt mentis non firmæ*. Et de Coac. *Nonne tremula lingua non constantem mentem significat?* Et de tremore & horrore linguæ intelligitur illud Hipp. Coac. lib. 2. *Lingua, qua in principio quidem inhorruit, &c*. De linguæ resolutione, seu paralysi, est illud Hipp. 4. Coac. *in conuulsionibus, sermonis interceptio diutius durans malum, quæ durat breuius, vel linguæ resolutionem, vel bracchij*.

brachij. Mouetur cum dolore lingua quando vlcerosa, & pustulosa est, aut quando illi extremam figuram damus, quam longissime eam extendendo, vel flectendo, vel quomodocumque præter modum circumducendo.

De signis capiendis à Lingua, vt est organum deglutitionis, & masticationis.

CAPVT XXII.

Linguam iuuare masticationem, & deglutitioné, nemo iure ambigere potest, quare vitiari vtramque functionem ob morbum linguæ vel aliarum partium cum ea consensum habentium, necesse est. Idcirco Hipp. 2. *Epid* Venæ sub lingua &c. Manifeste deglutire, nisi magno cum labore, nequibat. & *lib.* 2 *de morb.* loquens de quadam anginæ specie. *Linguæ posterior pars inflammatur, tum locus sub tonsillis adguttur, neque saliuam neque quippiam aliud deglutire potest, si vero, coactus fuerit, per nares ipsi effluit.* Eodem in loco loquens de tuberculo sub lingua: *Si tuberculum sub lingua* hypoglossis *vocatum fiat, lingua intumescit, & pars sub ipsa, & exter-*

 na

na ad tactum dura est & saliuam deglutire non potest. Et 2. *Epid sex.* 2. postquam anginosos dixit non facile vertere linguam, subdit: *deglutire non poterant, aut difficulter.*

De signis, quæ hauriuntur à lingua, prout est organum locutionis.

CAPVT XXIII.

SIcut vocis instrumentum est ipsa larinx, ita ipsius sermonis lingua, quæ aut est aphona, id est muta, aut obscura, aut turbata, aut balba, aut blæsa, aut diminuta, aut inarticulata. De lingua silente intelligi potest illud secundi Coac. Hipp. *Quæ, cum febre, mutitates fiunt, conuulsorio modo, in mentis emotione, cum silētio transeūtes, lethales. Aphonia* enim siue mutitas, etsi propric fiat læso cerebro, aut lingua, aut musculis intercostalibus, aut spiritu vitali, potest tamen aphonia intelligi de sermonis priuatione, quæ fit læsa lingua, aut neruo eius maiore; quamuis hæc priuatio propriæ *Anaudia* dicatur. Et illud primi de morb. vulg. com. 3. *Mulierem quamdam, quæ decumbebat in littore, trimestri fœ-*

tu grauidam corripuit ignis; mox ei cæperunt dolere lumbi, die tertia dolor colli, & capitis secundum clauiculam, & malam dextram, statim lingua obmutuit, dextra manus cum conuulsione elanguit, &c. Quæ intelligenda sunt de sermonis, non vocis priuatione; at quæ paulo infra scripsit, cum dixit, *quarta vox defecit*, referenda suntad vocis carentiã, nam maiorem morbi vim, aut prauitatem indicat vocis quam sermonis priuatio; cum magis vitalem actionem destruat hæc, quam illa. *Turbatam* Linguam dicimus, cum verba loquitur, quæ animi perturbationem, velut iram indicant, aut ea, quæ confusã & præpostera est; in qua consequuntur quæ antecessura sunt, aut antecedunt quæ consequutura. *Obscura* dicitur, cum quacumque de caussa vix exauditur, aut intelligitur; & præsertim si, ob debilitatem vix loqui posſit. De qua HIPPOCRATES 3. *morb. vulg* illius, quæ angina laborabat, & apud Bitonem agebat, *primo à lingua cœpit obscura esse vox.* Et lib. de præcep. *Obscuritas linguæ non satis claræ, fit aut propter affectionem, aut propter aures.* & 7. Epidemiorum. *Balis filio vox parua, obscura, Peripneumonica*, & cæt. & eodem libro: *Prodomi filio, æstate sublæso, æstuoso lingua subarida, obscura.* Et iterum obscura intelligitur vox ex illo loco 7. *Epidem.* prope finem. *Aristoni, vulnerato*

pedis digito, cum febre loquelæ obscuritas, carcinoma ascendit vsque ad genu, periit. *Diminuta* dicitur lingua, cum non omnia sermonis potest enunciare, vt eod. lib. *Nicodemus in Olyntho linguam ardentem habebat, vocem fractam, vt operosum esset exaudire, claram tamen.* Et iterum 7. *Epid. magnæ nauis gubernator cui anchora digitum medium, & os dextræ manus confregit, post inflammationem & alia symptomata, dixit se per linguam non omnia posse enunciare.* Ex quo intelligimus diminutum fuisse sermonem, non ex toto ablatum. De *balba* lingua accipi potest illud Hipp. 7. Epid. *Andreæ ante Pleiadem maxime os resiccabatur, potione nullam libenter admittebat, cum multa iucunditas circa os esset, lingua sicca, inarticulata, asperitas efflorescebat, cum pallor albicans, vigil, anxius, exsolutus, fractus* De blæsa lingua est illud quod sequitur: *Lingua præ siccitate quandoque sublæsa, donec madefieret* De lingua *inarticulata* est illud Hipp. 7. *Epid.* præter iam citatum, *Anacleti filio hæc contigerunt. Hyeme in balneo, dum vngeretur, ad ignem calefactus est, & statim in comitiales conuulsiones incidit: Postquam vero multæ essent factæ conuulsiones, circumspexit; non apud se erat, cum autem extra se ipsum esset, rursus postridie mane correptus est, & conuulsus, spuma non valde: tertia, lingua inarticulata, quarta per linguam significabat, quinta loqui*

loqui non poterat, ſed in principijs nominum hærebat lingua valde, & conuulſio fiebat & extra ſe erato: cum vero hæc remitterent, lingua vix in ſuum ſtatum reſtituebatur.

De ſignis, & differentijs linguæ compoſitis.

CAPVT XXIV.

EX ſignis quæ linguam obſident, non ſemper vnum ſeorſum ab alijs obſeruatur, ſed quandoque bina, aut terna, aut plura, quæ compoſita ſigna à nobis dici poſſunt nam ſicut in vrina ſæpe plura ſigna coniungũtur, vt tenuitas, & albedo, craſſities, & nigredo: ſic in lingua fieri credendum eſt. Componuntur autem ſigna in lingua dupliciter. aut enim iunguntur ſigna ſignis exiſtentibus in lingua omnibus: aut coniunguntur cum alijs, quæ extra linguam ſunt. Loquimur potiſſimum de prima ſignorum compoſitione: quamquam Hipp. ſecundam nõ negligat. nam in Coac *Lingua, citra rationem teneraſiens, & cibi faſtidio nauſeabunda, cum frigore, ſudore, & aluo liquida, nigriorum vomitionum ſignum eſt.*

Et eodem loco: *Lingua tremula, cum rubore iuxta nasum, & aluo liquida, si reliqua sine signis sint circa pulmonem, malum est, & celeres purgationes perniciosas significat.* De secunda signorum compositione Hipp. 7. Epid *Lingua qualis Peripneumonicis cum pallore albicans* Et quandoque tria coniunguntur dicebat enim idem Hipp. loco citato; *Hermoptolemo post Pleiadum occasum febris accessit, tussis non valde, lingua peripneumonica.* & paulo infra, *Alius quidam in palato stertens, lingua sicca, Peripneumonica, prudens mortuus est.*

Tria hic in vnum colliguntur indicia, albor, & palliditas, quæ sunt signa linguę Peripneumonicæ, vt sæpe docet Hipp. & siccitas accessit. Coeunt interdum & plura quam tria. nam 7. *Epid.* idem de *Vxore Olympiade ait: Circa Pleiadum occasum Vxorem fœtum trimestrem gestantem, ex casu, febris acuta corripuit, lingua æstuosa, sicca, aspera, pallida.* Quatuor hic coeunt signa, æstus, siccitas, asperitas, & pallor linguæ. Conspirant etiam & 7. *Epid.* commansio, nigrities, & magnitudo, vt in ea Muliere, quę pharmacum, ad perdendum fœtum, biberat, ait enim; *cuidam, quæ circa vigesimum ætatis annum biberat vltro pharmacum, ad perdendum fœtum, accidit dolor, vomitus biliosorum multorum pallidorum, prasi-*

sina·

ſinorum, nigrorumque: cum bibiſſet tertia die conuulſio corripiebat, linguam commandebat; ad quartum diem ad ipſam ingreſſus, cum lingua nigra magna, &c Vbi linguam commanſiſſe intelligendum eſt, quia ex conuulſione permotam, regere non valebat: motabatur autem per conuulſionem, non ſecus ac eam equus motitat, dum frænum mādit, circa illud lingua ludendo: differt tamen motio equi ab ea quam ęger iſte edebat. nam illa per phantaſiam fiebat, hæc præter voluntatem a ſolo morbo. *Et 7.* Epid. prope finem, in *Pherecyde linguæ erat albedo, læuor, & inarticulatio* inarticulatam linguam dixit Hipp. *Acratim,* ſignificat autem ex Gal. interpretatione *in expo. ling.* eam quæ ſua extrema non informat, propter motus difficultatem: & in Adrophane coniungebantur aſsidua ſiccitas, deperditio, & deprauatio locutionis, & amaritudo, & decoloratio. Et in Nicolai filio lingua erat, in qua notabatur albedo, cum tuberculo adnato, adinſtar lupini itidem. *7. Epid. & in Coac.* habetur albedo linguæ cum aſperitate, & in lib. de affect. notatur linguæ nigrities, & aſperitas. Et lib. 3 *de morb.* coniungitur in lingua aſperitas, & ſpumoſitas liuida. Sed notandū eſt accurate & memoriæ mandandum dupliciter poſſe pleraque linguæ ſigna cōiungi,

vel

vel plura vno eodemque tempore morbi, vt in principio, vel ſtatu: vel plura eodem quidem morbi tractu, ſed diuerſis temporibus. nam *lib. 3. de morb.* loquens Hipp. de quadā Peripneumonia, coniugit flauitiem, nigritiem, & rimam linguæ ſed diuerſis morbi temporibus linguam occupāt. flauities enim euenit in principio, nigrities in augmento, in ſtatu rimoſitas. Et *eod, lib.* loquens Hipp. de quadam febre ardente, iungit, per temporum morbi diuerſitatem, multa ſigna, nempe horrorem, colorem proprium, ſiccitatem, duritiem, aſperitatem, craſſitiem, & nigritiem. Et *lib. 2. de morb.* loquens de quadam ſpecie febris ardentis multa iungit ſigna in eodem morbo, ſine temporis diſtinctione, nempe aſperitatem, nigritiem, virorem, cum palliditate, ſiccitatem, & ruborem Et eod lib. loquens de morbo regio nigro coniungit pallorem, virorem, cum craſſitie, & nigritie, ſine vlla temporis diſtinctione. Et *eod. lib.* loquens de tuberculo linguæ, copulat magnitudinem acutam, cum duritie, & impedita deglutitione. Et 2 *de morb.* loquens de quadam ſpecie anginæ, componit impeditam deglutitionem, & inflammationem, quæ complectitur ruborem, calorem, dolorem, tentionem Et *lib. de vict. rat in morb acut.* coniungit in lingua aſperitatem, ſiccitatem, & ſalſedinem, dum

dum loquitur de febre ardente secundæ notæ. Et *eod lib. com.* 4. rotunditatem, liuorem, duritiem, flectendi contumaciam coniungit. Et *lib. 3. morb. vulg. com.* 1 iunxit priuationem sermonis, cum linguæ ariditate. Et lib. *3. com.* 2 iunxit obscuritatem vocis, cum rubore, & siccatione linguæ. Et *lib 3. com. 3.* linguæ fuliginem, & ariditatem componit. Et in Coac. coniunxit horrorem, proprium colorem, asperitatem, liuorem, & hiatum, in diuersis morbi temporibus. Nec quis me iure reprehenhat, quod tot locos collegerim, in quibus fit mentio signorum compositionis, quasi superuacuo labore meo, & lectoris. nam cum ex locis citatis fere semper capiatur noua signorum syndrome, non parum vtilitatis percepturus est, qui hanc varietatem obseruauerit, quæ diuersos morbos indicat.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De notationibus siue indicijs, quæ ex Linguæ signis capiuntur.

CAPVT I.

HActenus Linguæ naturalia & differentias, speciesque signorum quæ à lingua sumuntur, siue simplices, siue compositę sint tractauimus; nunc consequens est, vt quos affectus morbosque hæ differentiæ nobis denuncient, aperiamus. Vtilissimum sane opus, & fere vniuersus fructus huius tractationis de linguæ signis. nam morbo non agnito, quæ præstari vnquam poterunt idonea ad curationem, siue sit victus ratio congrua, siue medicatio per pharmaca soluentia, siue quid aliud curatiuum opus? Contra, morbo introspecto, omnia secunda fluent ad sanationem: dicebat enim aliquando Hipp. *qui sufficit ad cognoscendum*

dum, ſufficit etiam ad ſanandum. Hanc igitur notitiam integram, & omnibus numeris abſolutã pollicetur conſequens theoria de iudiciis ſignorum; in qua docebimus quem morbum vnaquæque nota ſignificet; primum ſeorſum: deinde cum copulata cum alijs, concurſum quemdam facit.

Quid ſignificet Lingua ſimul alba, & pallida.

CAPVT II.

QVemadmodũ poſt enarratas ſimplices ſignorum differẽtias, quid vnaquæque ipſarum indicet, monſtratum eſt: ſic poſtquam quæ ſint compoſitæ differentiæ edocuimus, dicẽdum quid compoſita ſingillatim differentia notet. Et primo edifferamus quid notet albor cum pallore in lingua. Igitur ex ſententia Hipp. 7. *Epid.* denotat inflammationem pulmonis ſi ſigna pathognomonica pulmoniæ adſint, vt febris acuta, reſpiratio frequẽs, & calida, nã pallor & albedo huius morbi non ſunt, niſi adſiſtentia ſigna, quę ab eo ſeparari poſſunt

probat autem id quod ait Hippocrates *in Coac.* deſcribens noxam pulmoniæ hoc modo: *Lingua tremula cum rubore iuxta naſum, & aluo liquida, ſi reliqua ſine ſignis ſint, circa pulmonem malum eſt.* In quo deſcribendo morbo nulla fit mentio alboris & palloris linguæ, quia eſſe poteſt pulmonia ſine his; ſine pathognomonicis, aut vno aut pluribus non poteſt; ideo Hipp. nunquam illum exortem horum ſignorum facit, vt hoc loco de pathognomonicis, vnum nominat, quod eſt rubor circa naſum, & genas. Etenim hæc non valet ſequela, alba lingua eſt, & pallida, ergo æger afficitur peripneumonia, nam & tertianá nota, prout duo humores in eo committuntur, bilis, & pituita; ita vtriuſque humoris ſignificationem lingua exhibet. Sed ita ratiocinari licet: Adſunt ſigna pathognomonica pulmoniæ, & lingua eſt alba & pallida, ergo certo certius morbus, quo æger cruciatur, eſt pulmonia. Sed dices, non videtur hoc ſignum quicquam conferre ad diuinandum de hoc morbo, cum tota eius notitia ex ſignis pathognomonicis hauriatur. Reſpondeo: diſtinguit & confirmat notitiam; diſtinguit à morbo conſimili, & qui vicinas, & ſpirituoſas partes occupat, verbi gratia, à pleuritide, & per hanc diſtinctionem reddit nos certiores in cognitione pulmoniæ. Sed iterum inſtabis; Hipp. 3.

de

de morb. loquens de ſignis inflammationis pulmonis, recenſet flauitiem, & nigredinem, non igitur pallorem, & alborem. Reſpondeo primo, per flauitiem, intelligendam eſſe palliditatem. nam flaua, & pallida bilis, à quibus eſt vterque color, interdum pro eodem accipiuntur; cum pallor ſit è genere flauitiei. hinc fit, vt cum ſumuntur ad ſignificandum, modo pallor & albedo modo flauor & nigrities capiantur. Dico iterum eſſe diſtinguenda tempora morbi. nam in principio albedo & pallor inſunt; in augmento & ſtatu pallor & nigrities, ſeu flauor & nigrities. Expendite verba Hipp. 3. de morb. *Primum lingua flaua eſt, verum progreſſu temporis nigreſcit*, hoc eſt, principium morbi ſibi ſumit ad ſignificandum albor, & pallor augmentum; & ſtatum, flauities & nigrities. Nec res caret ratione. nam quæcumque, paulo poſt vberiorem caloris actionem nigra fiunt, ex fuliginibus nimirum, quæ ſuſtolluntur ab ijs, quæ magis magiſque vrũtur. Res ſenſu expoſita probationem non poſtulat. nam paries dealbatus, ad quem ignis accenditur confeſtim à fumo nigreſit.

 Quid

Quid indicet color ruber morbosus, quid albus, quid niger, quid pallidus, quid siccitas seorsim sumpta.

CAPVT III.

QVID vnumquodque ex dictis signis & coloribus separatim sumptum significet, nunc dicere oportet. (quid enim coniunctim duo vel tria, vel quatuor notent, dicemus infra) Vnus igitur Hippocratis locus 6. *Epid. com.* 5. *tex.* 24. id nobis demonstrat, qui sic habet: *Lingua lotium significat, linguæ viriditas biliosæ, biliosum autem à pingui, rubræ vero à sanguine, nigræ ab atra bile, aridæ à fuliginosa exustione, & ab vterino membro, albidæ vero à pituita.* Ex quibus verbis accipimus humores præsertim qui notantur à coloribus, quos eorum redundantia in lingua excitat. sunt autem hi, bilis pallida, bilis atra, sanguis, & pituita, quorum postremus ab albore, sanguis à rubore, ater humor à nigritie, bilis pallida à pallore seu viriditate quam dicimus, significantur: sicut contra excessus horum humorum hos colores causantur. Addit, ariditatem significare fuliginosam adustionem: sicut hæc pro-

producit ſiccitatem, quare aduertendum, ari-
ditatem eſſe duplicem, aliam cum nigritie. nam
E, G. mel & lignum cum aduruntur, nigreſ-
cunt, ſaxa exuſta exſiccantur ſine nigritie, vt
videmus in calce. cum Hippoc. ait, Fuligino-
ſam aduſtionem reddere linguam aridam, in-
telligit de ea ſiccitate quæ coniuncta eſt cum
nigritie. quod patet expendenti Hippoc. dum
ait. *Aridæ à fuliginoſa exuſtione*, nam aduſtio cum
fuligine reddit id, quod aduritur, ſiccum & ni-
grum; contra quod aduritur cum exigua aut
nulla fuligine, reddit corpus aduſtum ſolum-
modo aridum.

Quid ſignificet Lingua ſicca morboſa.

CAPVT IIII.

Lingua ſicca acutam febrem no-
tat pręſertim ex ſuccis bilioſis
pendentem, connotat & ſitim
ingentem. nam in ægrotis,
quos libris *epid*. commemorat
Hippo. cum lingua ſicca me-
minit fere ſemper ſitis, vt *lib*. *3 com* 3. in Nico-
demo, Abderæ laborante, & *eod*, *lib*. in Virgine

Larisca, & in Pythione, & Thaso decumbente supra Herculis fanum. *& lib* 3. in Muliere, quę decumbebat in foro: & in Muliere quæ apud Pantimedem degebat, lingua erat horrida, & sitibunda erat; licet horrida lingua sit plus, quam sicca, est enim modice sicca, & nigra sit. in eo qui in Dealcis horto decūbebat, lingua erat arida, & sitibundus erat. Quæ duorum symptomatū copulatio plurimis aliis in ægrotis accidit, *vt lib.* 1. *com.* 3, in eo qui febriens cenauit, & largius potauit, quem inuasit magna linguæ ariditas, cum siti non æquali illi sic-citati: quod ostendebat debilitationem virtutis appetitiuæ: & in vxore Dromeadai lingua inerat perarida, & sitibunda erat: & in vxore Epicratis lngua erat horrida & sitibunda; & Philiscus linguam aridam habebat, & sitibundus erat: & Silenus eodem modo afficiebatur. Vel connotat priuationem sitis pendentis, extinctionem facultatis appetitiuæ, vel priuationem cognitionis ipsius sitis, vel delirium, vt in Hermocrate qui ad nouum murum habitabat *lib.* 3. *com.* 1., licet in principio cum linguæ ariditate sitibundus esset, sed non multum, Indicat & linguæ siccitas morbos siccos arteriarum & venarum, Gal. *com.* 1. *in lib. de rat. vict. in morb. acut. & lib. de ptisana.*

Quid

Quid significet aspera Lingua.

CAPVT V.

OMnia interiora denotat lingua aspera, quam sicca, siquidem siccitas partium humoris inopiam magnam, asperitas maiorem, hiatus linguæ maximam indicat. patet Prorhet. *com.* 1. tex 3 *Ad linguam asperam via est lingua inhorrescens*, de qua Hipp. lib 2. sect. 1. Coac. nam *horror sicut exasperat cutim, ita & linguam*, non igitur horrida lingua dicitur ab Hipp. quia sensum & motum vitiatum percipiat, sed quia incipit leuiter exasperari à sicco; progressu autem temporis omnino, & plene exasperatur. Notat præsertim aspera lingua febrem causon ex ichoribus biliosis, & acribus, quos æstiuo tempore venæ ad se traxerunt, vel effundit calor: *lib. de vict. rat. de morb. acut. com.* 4. indicat & causon idem illegitimam, cui non omnia symptomata insunt veri causi. Lingua aspera cum exæstuatione, & siti, cum spuma, & saliua singulis horis decurrente indicat ex crudis humoribus. lib. 3. *de medica facul. secun. loc.*

pulmoniam ingrauescentem, asperatam linguam etiam ostendit, *lib. 4 præsag. ex pul.* Hæ linguę siccæ, & asperæ significatrices vere sunt nisi ab extrinseca causa exiccetur, vel exaspere-tur, vt cibo, potu, medicamento, vel longa sermocinatione; nam cinaræ ęsus crudę linguam subasperam reddit.

Quid notet linguæ color proprius.

CAPVT VI.

SVus linguæ, id est, rubidus color, in morbo acuto, principium morbi indicat. nondum enim eius initio proluitur sero humoris morbifici; vel quia in interiore inflammatione totus collectus est, ita vt solo colore exasperata sit, nec dum exusta Obseruatum est etiam multis peripneumonicis linguam rubram esse, nonnullis quoque maligna & lethali febre habitis: quod certe mirum videri debet, nisi dicamus pulmoni inflammato nullum esse cum lingua per venas consensum, & materiam pulmoniæ frequentissime esse sanguinem, qui linguæ ruborem largitur. Vel dicamus, linguam, quæ ex vi morbi deberet nigricare. vt pulmoniæ febris malignæ, si rubescat, malum esse signum

quod indicat, ita humores concalefactos & exiccatos esse à supercrescente incendio vt parum quid, aut nihil effumigare possint.

Quid notet pressius Linguæ rubor morbosus.

CAPVT VII.

Linguæ rubor maior quam natiuus iunctus siccitati, præsertim ille qui occupat postremam linguæ partem, indicat inflammationem ex sanguine parientem anginam, nam Hipp. 3. Epid. *illius qui angina laborabat, & apud Bitonem agebat, primum à lingua cæpit obscura esse vox, lingua rubens desiccata erat.* Ecce cum siccitate, tenebatur rubore, qui à phlegmone occupante musculos faucium, radici linguæ & eius extremæ parti cõmunicabatur. Sed statim ambigis: Phlegmon, quo pars linguæ tenetur, pendet à sanguine, qui est humor calidus, & humidus,& proinde talis est phlegmon. Igitur qua ratione hic locum habet siccitas, quæ cum rubore iungitur? Dico nihil prohibere quominus intelligamus hunc phlegmonem fuisse erisypelatosum, qui cum à prædominio sit sanguineus, à subdominio biliosus habet à sanguine ruborem, à bile siccitatem.

Insuper linguæ ruborem esse principium anginæ, palam facit Hipp 2. *de morb.* vbi loqués de quadam specie anginæ ait: *Linguæ posterior pars inflammatur*, id est, pars radici vicina, *itemque locus sub tonsillis ad guttur, & neque saliuam neque aliud quippiam deglutire potest; si vero coactus fuerit per nares ipsi effluit*, &c. Si lingua inflammatur, etiam rubescit; quia nulla inflammatio propriè sumpta est sine rubore, cum rubor inter signa pathognomonica phlegmonis recenseatur. Notat etiam quamdam speciem febris ardentis, de qua loquitur Hipp. *libr.* 2. *de morb.* cum ait: *Febris tenet, & sitis vehemens, & lingua aspera, & nigra, & cum virore pallida, & sicca, & vehementer rubicunda.*

Quid

Quid indicet lingua amara, dulcis, acida, ſalſa, acerba, auſtera, & eiuſmodi qualitatibus infecta.

CAPVT VIII.

QVICVMQVE linguam amaro ſapore infectam habet, etiam ſi dulciſsima guſtet, amara iudicat. itaque in eo, qui ſic affectus, copia bilis flauæ, quæ ſimul amara eſt, abundat, ſiue per eam febris bilioſa generetur, ſiue icterus flaua. De febre, cuius materia eſt bilis, intellexit Hipp. 2. *de morb.* cum dixit: *Si bile infeſtatur homo, febris ipſum corripit quotidie, ac dimittit, detinet autem in meridie, & os amarum eſt*, &c. Diximus ſæpius, cum Hippocrates de ore amaro, vel ſicco loquitur, potiſsimum linguam interpretandam eſſe, quæ oris domicilij præcipua pars eſt. Icteri notam eſſe amaram linguam dixit Galen. *6. Epid.* dum expenderet ea verba Hipp. *Si ſalſa carnes guſtanti, ſuperuacuæ materiæ ſignum:* vbi docet, non ſolum linguę colores oſtendere ſuperuacuos humores, ſed etiam ſapores: indicat etiam lin-

guæ amaritudo bilem flauam, redundantem in ventriculo, quæ vomitu eijcienda, vel clyſtere eruẽda eſt, vt docet Hipp. *de vict. rat. in morb. acut. com.* 4. per ea verba: *Quod ſi os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem ſubluere*. Facile autem à ventriculo in os bilis flaua aſcendit, quia tunica quæ os veſtit, & quæ ventri interna eſt, vnam cõmunem efficiunt: vnde, qua facilitate ad inficiendam linguam obrepit, eadem ad vomitum impelli poteſt. Oris amaritudo, etiam cum ſcotomia ventriculi, morſu, & inappetentia, in non febricitantibus purgatione egere ſignificat per ſuperiora facienda, vt eſt in Apho. redundat enim copia bilis flauę in ventriculo; indicat etiam parciorem ſumptum eſſe cibum, quam par eſt, nempe ſemel in die, quod ſcribitur *com.* 4. *lib. de. vit. rat. acut.* per hęc verba: *Qui ſemel tantum cibum aſſumunt imbecilli fiunt, & calidum mingunt, vt puta præter conſuetum vacuati, os ipſis ſalſum efficitur, & amaricatur*. Notat etiam longam inediam, & famem, qua quidam medici acuto morbo laborantes affligunt. Lingua dulcis ſupra mediocritatem, indicat aut pituitam dulcem, aut ſerum ſanguinis optimi multum. Acida copiam pituitæ acetoſæ, vel fecis melãcholicæ, quę vomitu reiecta, terram fermentatam, vt acetũ de-

cui

notat, cui inter ſuccos qui capiuntur à pomis reſpondet optime ille, qui eſt meſpilorum, quę vbi maturitatem exceſſerint, iam incipiunt acidum quemdam ſuccum terreum exhibere. Salſa lingua fit à pituita ſalſa, & idcirco eius redundantiam indicat. Fieri pariter linguam auſteram, & acerbam à ſuccis, eadem qualitate affectis, non eſt dubitandum, quamquam raro admodum ſucci auſteri, & acerbi, vt qui ab intenſa quadam frigiditate gignuntur, ſe ſe in corpore oſtentent. Quod autem rarius hi ſucci generentur à corpore enaſcentes, vel inde patet, quod nullus humorum, ſiue de genere pituitoſo, ſiue bilioſo, ſiue melancholico, tali nomine inſignitur: ita vt dicamus vnam ſpeciem pituitæ eſſe acerbam, vel auſteram, vel vnam bilis, vel melancholiæ. quod ſi alicui humori conuenire poteſt hæc appellatio, ſoli feci ſanguinis forte aptari poteſt; non eſt tamen negandum, ita aliquando humores corrumpi, vt in auſteros & acerbos ſuccos degenerent. Igitur cum lingua noſtra ab aliquo ſucco excremētitio ita ſentit ſe exſiccari, & contrahi in multam profunditatem, vt illam exaſperent, dicitur fieri auſtera, & acerba: non ſecus, ac ſi à comeſis pyris ſylueſtribus immaturis, & cornis, & ſorbidis, & meſpilis exaſperentur: nec enim alia ratiōe differt lingua auſtera ab acerba

quam

quam per magis, & minus, cum ab eadem causa vtraque æqualitas producatur.

Quid demonstret. Lingua tumida.

CAPVT VIIII.

VBi lingua intumescit, ostenditur subesse tuberculum, vt docet Hipp. *lib 2. de morb.* cum ait: *Si tuberculū sub lingua, hypoglossis appellatum, fiat, lingua intumescit, & pars sub ipsa, ac externa ad tactum dura est, ac saliuam deglutire non potest*, Monstrat etiam eius posterioris partis inflammatorium tumorem, quæ propagatio quædam est anginæ fauces inflammantis. *2 de morb.* vbi habetur. *Posterior linguæ pars inflammatur. quicquid enim inflāmatur humorali phlegmone, necessario etiam tumescit; quare illius partis tumor cum rubore demonstrat linguæ inflammationem.* Denotat tuberculum illud, quod sub lingua erumpit, quod Paulus lib. 3. Batrachum apellat, id est, Ranam. Commonstrat etiam œdema phlegmonium intumescens lingua. Hippoc. enim lib. de affect. circa principium: *Si vero gingiuæ, & aliquid sub*

sub lingua inflammatum fuerit, his quæ commandantur vtendum est, a pituita autem, & hæc fiunt; quicquid enim inflammatur a pituita, cum sanguine mista, necessario tumescit, & eum tumorem excitat, qui œdema sanguineum dicitur.

Quid indicet Lingua exerta.

CAPVT X.

CVm quis in aliquo pectoris affectu præsertim inflammatorio linguam exerit, magno monstrat cordis teneri incẽdio. Vt enim Canes & Equi longo vel vehementi cursu inflammati, linguam exerunt, tum, vt latiorem viam pandant aeri ingredienti, tum, vt ex porrecta parte maior aeris copia alliciatur; ita & homines æstuoso quodam morbo correpti, Hipp. enim 3. *de morb.* loquens de pulmone tumente præ calore ait: *Cum pulmo præ nimio calore repletus, tussis tenet fortis, & dura, & exertæ ceruicis spiratio; & aceruatim respirat, & frequenter anhelat, & extumescit, & nares expandit, vt equus ex cursu, & linguam frequenter exerit.* Et 2. *de morb.* loquens de eadem repletione pulmonis; *Si pulmo repletus fuerit,*

erit, tuſsis tenet, & erecta ceruicis ſpiratio, & anhelatio, & linguam exerit, &c.

Quid notet lingua obſcura, rubra, & deſiccata.

CAPVT XI.

EX 3. *Epid. com.* 2. obſcura lingua, ſiue obſcura vox à lingua, hoc eſt, exiguus & vix perceptibilis ſermo. nam hic pro *voce* capiendus eſt *ſermo*, cuius proprium inſtrumentum eſt ipſa lingua: ſi vero pro voce, quæ à lingua capitur obſcura, vis intelligere ſonum, qui eſt materia ipſius ſermonis, dicendum eſt, vt etiam alias explicauimus, ad vocem, & edendum linguam aliquem vſum præbere, cum ipſa ſit propria operatio laryngis, aut rimæ eius. Deinde rubor, & exſiccatio iuncta vocis obſcuritati, notat anginam, quæ eſt inflammatio, vt ſæpè diximus, muſculorum faucium internorum, cuius inflammationis rubor, aut pars eius (non eſt enim vnquam ſine rubore vera phlegmone) linguæ communicatur; exſiccatio vero pendet a febre, quæ cum angina con-

coniuncta eſt. non enim ſemper anginam febris comitatur, ſi Cælio Aur. credimus *lib. acut paſſ.* quod difficulter credi poteſt, quoties angina eſt à vera inflammatione, quæ a ſanguine pendet: cum viſu ipſo experiamur, etiam phlegmones partium nobilium & externarum conſequi febrem; cum vero eſt a ſola luxatione vertebrarum ceruicis, tunc veriſimile eſt febrem abeſſe. Hoc tamen experientia ipſa medicinam factitando comperi, anginas aliquando conſequi febres valde obſcuras, & exiguas, quod tunc euenire mihi perſuaſi, cum angina eſt ab œdemate phlegmonoſo, in quo pituita longo interuallo ſanguinem ſuperat, quales ſunt anginæ illæ, quæ in maritimis, & irriguis locis emergunt, primo ineunte vere, cum calor ambientis, qui creſcit a ſole maiorem ad nos acceſſum faciente in Zodiaco, incipit capiplenium fundere, quod prçcedente hyeme humida, & auſtrina, & loco nimis humecto contractum eſt.

Quid

Quid notet Linguæ horror, rubor proprius, asperitas, liuor, & fissura.

CAPVT XII.

HAe omnes notæ linguam non vno tempore obsidentes, quas scripsit Hipp. *lib.* 2. *Coac. sect.* 2. febrem sonant causonidem, de qua meminit etiam Hipp. 3. *de morb* dum dixit: *In morbo febri ardenti appellato sitis tenet multa, & lingua horret, & color eius primo quidem tempore, velut solet, verum sicca est, progressu vero temporis induratur, exasperatur, crassescit, ac nigrescit. Si vero hæc in principio patiatur, citius iudicationes fiunt, si posterius, tardius.* Dicere igitur linguam horridam, siue horrescentem, quod significauit Hipp per ea verba ἡ γλῶσσα πέφριχε, *lingua inhorrescit*, alterum de duobus inuere videtur, aut asperitatem quamdam corporis linguæ, qualis fit in corporib. nudis ab aere frigido: quo affectu cutis quasi milij granis corpusculis aspergitur quod vulgo dicitur *Baccapricciamento*; aut motum cu-

tis, &

tis, & partium ſenſitiuarum medium inter fri-
gus & rigorem (nam frigus eſt quid mitius ligor
quid intenſius, in quorum medio vtrorum-
eſt horror) aut denique vtrumque innuere per
linguæ horrorem, & grandinationem quamdã
linguæ. & motum illum moleſtum dico gran-
dinationem, non quæ ſubcreſcit in lingua ab
humore aliquo, quæ diuturniori tempore du-
rat, ſed aſperationem quamdam cutis linguæ,
ſine humore, a cauſa exaſperante.

Quid notet lingua commandens, magna & nigra.

CAPVT XIII.

LEgimus 7. *Epid.* mulierem, quæ ſumpſit vltro pharmacum ad perdendum fętum, tria circa lin guam habuiſſe, commanſionem, magnitudiné, & nigritiem, quæ indicarunt in ea conuulſionem ex inanitione, per factam ſuperpurgationem, non ſine febre, eſt autem *linguæ commanſio*, vt ſupra etiam declaraui, cum ita conuellitur, vt regi motus eius non poſsit ſed per oris cauitatem temere mo-

ueatur, ac si quippiam mandere vellet; sicut frenum mandunt equi, circa illud lingua ludendo.

Quid notet linguæ siccitas, asperitas, & salsedo.

CAPVT IV.

LINGVA sicca, aspera, & salsa ostendit (Galen. *libr de vit acut. com.* 4) Causi genus illud, quod per defectum vnius conditionis, ab exquisita causonide recedit, in qua lingua premitur ingenti siti, asperitate, & nigredine; at in secunda hac specie pro nigredine, lingua habet salsedinem, ostenditque febrem hanc ardentem constare ex pituita salsa. Lingua vero tantummodo sicca, & aspera, phrenitidem denotat; sic enim tales linguas appellat Hippoc. 1. *Porr.* nempe phreneticas.

Quid

Quid notet deglutitio impedita, cum tumore, dolore, calore, & tensione linguæ.

CAPVT XV.

NEMO dubitare debet hæc, vbi insunt in lingua, significare anginam, quæ inflammatio quædam est musculorum internorum in faucibus, cuius inflammationis pars ad linguæ posteriora diffunditur. angina enim, vt quæ magis interna sit, huiusmodi notas de se non præbet in lingua, prætar impeditam deglutitionem, ob imflammatos œsophagi musculos, cuius membri præcipua actio est deglutitio, ad quam peragendam, vsum aliquem præstat ipsa lingua. nam Hipp. 2. *de morb* loquens de quadam specie anginę ait: *Linguæ posterior pars inflammatur, item locus sub tonsilis ad guttur, & neque saliuam, neque aliud quippiam deglutire potest; si vero conatus fuerit, per nares ipsi effluit.* Si enim posterior pars imflammatur, necessario linguam occupat tumor, dolor, calor, rubor, & tentio, cum hæc ad essentiam in-

flammationis pertineant, vt docet sæpissime Galen. & præsertim libr. ad hanc doctrinam peculiariter scripto, *de tumoribus præter naturam*. Notæ eædem indicant linguæ propriam inflammationem, qualem describit Hippocr 1. *Epid. com.* 3. cum ait: *Nonnullis multa erat turbatio, tuberculaque ad fauces, linguæ inflammationes, abscessusque secundum dentes, &c.*

Quid significet rotunditas, liuor, durities, & flectendi contumacia in lingua.

CAPVT XVI.

HIpp. *lib. acut. com.* 4. has notas indicare ait columellæ præcisionem, quæ plurimas ob causas contingere solet. Nam in præcisa, quam nonnulli *Ceonida*, id est, *columellam* vocant, venæ vtrinque crassæ apparent: cum igitur hæ oppletæ fuerint, linguæ, quę ob siccitatem, & sicca & spongiosa est innituntur: lingua autem ex venis humidum accipit, atque ex lata rotunda, ex bene colorata liuens, ex molli, dura, ex facile flexibili flectenti contu-

max

uax efficitur, &c. In quibus verbis notandum Hipp. oppoſuiſſe bene coloratæ, liuentem linguam; non quia hæc ſit tota contrarietas bene coloratæ; ipſa enim eſt, quæ decolor dicitur, id eſt ſine colore proprio; ſed voluit peculiariter colorem notare, qui præciſam columellam conſequitur, qui liuor eſt. alias ſatis habuiſſet Hipp. linguam, vnde iam proprius color abiit, decolorem nominare, vt 7. Epid. in Hiſt. fecit Androphani.

Quid indicet læuor, albedo, & inarticulatio linguæ.

CAPVT XVII.

ACcepimus è 7. *Epid. in Hiſt.* Pherecydæ læuorem, albedinem, & inarticulationem tenuiſſe linguam ipſius, quæ indicant febrem tertianam notam continuam, ex prædominio pituitæ craſſę, & viſcidæ, cum portione flauæ bilis, vt liquet non oſcitanter perpendenti totam illam pulchram & longam Pherecydę hiſtoriam. & iurę quidem, nam albedo pituitam

indicat, quæ fere ſemper alba eſt; & læuior, & complanatio aſperitati oppoſita indicat eandem. nam pituita craſſa & viſcida non ſinit febrem, quæ calefaciendo & exiccando agit, partes exaſperare. Inarticulatio vero monſtrat debilitatem virtutis matricis linguæ, & eius iam imminentem occaſum, non enim poterat extrema verborum, & totius ſermonis complere, ob imbecillitatem.

LIBER QVARTVS.

DE CAVSIS SIGNORVM *Linguæ*.

CAPVT I.

QVARTA ſuccedit pars tractationis de ſignis linguæ, quæ conſiſtit in inueſtigatione cauſarum, ex quibus eiuſmodi ſymptomata, & ſigna dependent. In quorum tractatione dum ſumus, vtemur ea demonſtratiua methodo, quæ à cauſa ad effectum regrediens, ipſam notificat penes quæſtionem propter quid: & iure quidem. nam paulo ante, dum quid hęc ſigna notarent inueſtigabamus, methodum demonſtratiuam, ab effectu ad cauſam, vſurpabamus: qua per eam inuenta, rurſus à cauſa ad effectus, à ſignatis ad ſigna regredimur. Quod nobis facere neceſſe erat, qui ei medicinæ ſectæ addicimur, quæ Rationalis dicitur,

 quæ

quæque cum experientia rationem, & causam, duobus innixa cruribus, coniungit. Et profecto certius quippiam est, & firmius rem per suam causam cognoscere, linguæque signa propter quid sint tenere; si enim sine causarum notitia, contentus sola signorum cognitione, incedas, quod, E. G. rubor linguæ sanitatem indicet, nec ad ruborem demonstrandum ex sua causa regrediaris; non eam scientiam acquires, quæ aliter se habere non possit, sed incertam, mutabilem, & mutabundam. nam & morbi aliqui, vt pote angina, ruboris linguæ causæ sunt, quare qui sciuerit ruboris linguæ causam esse & sanitatem & morbum, & hanc quidem morbi speciem, vbi in lingua notauerit, non statim iudicabit morbum esse nullum, sed aliquem, & cuius generis. Quare tractatio de causis signorum linguæ erit admodum necessaria ijs, qui certò cognoscere student. Et quoniam causarum triplex est genus, vt Galenus 1 *de causis puls. & alibi* sæpius docet, procatarticarum, antecedentium, & continentium; de omnibus à nobis dicendum est, vtpote quæ sint omnes in signis linguæ. Harum causarum triplicium sufficientia sic inuestigatur. nam aut sunt causæ generationis linguæ, aut instrumenti naturalis, aut generationis operationum eius, aut alterationum in operationibus & instru-

instrumento factarum. Causæ generationis ipsius instrumenti est substantia eius, & particularum; operationum vero ipsa facultas, vsus, & organum, quæ dicuntur causę continentes, quod linguæ, & operationis eius essentiam contineant. lingua enim, vt organum integratur sua propria substantia, quæ spongiosa, vel fungosa est, facultatibus suis, & functionibus. Functio eius constituitur vsu, facultate, & organo E. G. locutio constat vi sermocinatrice linguæ inhęrente; vsu ipso, hoc est, fine, vt notæ animi significentur; organo, ipsamet lingua. Vbi igitur alteratio ad vnam ex his essentialibus, & continentibus causis peruenerit, necesse est linguam, vel actionem eius alterari. Reliquæ vero duæ causæ antecedentes, & externæ non ad generationem organi, aut functionis eius, sed ad alterationem, quæ in vtrisque inducitur, pertinere videntur. vt E. G, succi, qui in lingua pręter naturam sunt, vel vapores causa præcedens cognominatur; cibus nigrificans, vel medicamentum, vt puta mora, vel cassia, causæ sunt externæ. Exordiamur igitur à causis continentibus, tanquam præstantissimis, & præcipuis, tum ipsius linguæ, tum functionis eius. Ac de causis continentibus, & constituentibus linguam, quæ sunt substantia eius, fa-

cultas, & operatio, dictum est à nobis satis superque, dum naturalia linguæ persequeremur, in quibus explicandis, quæ substantia eius, quæ pars, quot facultates, quot actiones & vsus haberet docuimus: quare inde petenda sunt, si quæ huic loco expedire videntur. Causæ procatarticæ, quæ extrinsecus accidunt, sunt, ambiens aer, regio, anni tempus, cibus, & potus, medicamentum, exercitium, & ocium, qualitates primæ actiuę, & passiuæ, somnus & vigilia, inedia & fames, thermæ, balnea frigida, & vinum, quæ in corporibus insunt, habitus, temperamentum, ætas, sexus, habitus, temperamentum ascititium, affectus animi, vt ira, affectus corporis, vt inflammatio, humores excremētitij, fuligines, & exhalationes, & huiusmodi. Externæ causæ, & pręcedentes per se signorum linguę effectrices non sunt, sed cum peruenerint ad causas continentes easque alterauerint, tunc interuentu earum vitiatur lingua, vel operatio eius: cuius virij tres sunt causę continentes, facultas, organum, & vsus. Facultas est vis quędā sermocinādi; organū est ipsa lingua: vsus manifestatio pasisonū animi. Igitur quoniam animi pasiones redundant in corpus, & corpus in animū, cū quis ęgrotat, ei in animo est aliqua perturbatio molesta, quæ impellit ægrotum frequenter facere

notam

notam huius molestiæ per sermonem. Quare oratio eius erit frequenter queribunda de molestia, quam percipit: si alteratio perueniat ad facultatem, aut redditur debilis, aut vitiosa: si ad organum, multipliciter vitiari potest.

De facultate debili videtur esse illud Hipp. 3 *Coac.* dum Acratim glossam dicit, id est, linguam quę impotentia quadam ægrius mouetur, vt vocem articulatam & sermonem exprimat. De vitio facultatis videtur capiendum esse illud Hippoc. *de vit. acut. com.* 4. dum ait; *Cum febrientis lingua quarta die turbata quædam loquitur*; id est cum turbato ordine verba profert: quod tunc fit cum antecedentia consequuntur, vel consequentia antecedunt, vel non finitam vnius prolationem, alterius dictio occupat Quod dicimus de lingua, vt organum locutionis, quo ad eius continentes causas, idem efferimus de lingua, vt organo gustus, & tactionis. consideratur enim facultas, organum, & vsus. Linguæ, vt instrumentum gustus, triplex est causa continens, facultas gustatrix, quæ ad cerebrum in linguam defluit, per par neruorum à sexto pari cerebri propagatorum: altera est ipsummet corpus linguæ, ea ratione, quod spongiosum est & molle: altera discre-

discretio saporum alimentosiorum à non alimentitiis. Itidem linguæ, vt organū tactiuum, tres sunt causæ, facultas tangens, linguæ corpus positum in mediocritate qualitatum tangibilium, & fuga iniucundi, & amplexatio iucundi ad sanitatem & salutem animalis; vt E. G. lingua exsiccata, adpositum siccum respuit, vt molestum; humidum amplexatur, vt iucundum; vt nimirum siccitas, quæ inest venis & arterijs, expellatur per humidi admotionem: quod vbi factum erit, sanitas restituetur, & iucūde viuet animal ita esto lingua madidissima, à multa ventriculi humiditate, sapores humidos, vt molestos reijcit, siccos amplexatur vt iucundos; ambigitur humiditas illa superuacua, quæ coctionem ventriculi vitiabat, restituitur siccitas, & coctio eius bona procedit. Cum igitur hæ tres continentes causæ male affectæ fuerint, tunc fiunt causæ affectionis præter naturam, quorum aliqua erit in facultate, aliqua in corpore organi, aliqua in vsu vitiato: in facultate vitiositas respectu operationum, & imbecillitas; in organo humiditas, siccitas, mollities, densitas, læuitas, asperitas, & huiusmodi; in vsu, qui est discretio saporum nutrimentosorum à non nutrimentosis, aut diminute discernit, prout respicit actionem gustus, & tactus; aut vitiose, aut nullo modo.

modo. In vſu, qui eſt notificatio conceptuum, reſpectu organi locutionis, aut nulla manifeſtatio, aut obſcura, aut praua. De cauſa pertinente ad facultatem læſam, intelligendus videtur locus ille *Coac. com.* 2. a nobis alias explicatus, cum ait, *acratis gloſſa*, id eſt, non continens, vt quidam volunt, *ſed ea, quæ impotentia quadam ægrius mouetur, vt vocem articulatam, & ſermonem exprimat*. Contingit id velut linguæ imbibitæ nimio humore in ebrijs, ſic toti corpori, vbi laborioſa febre laborat, quam multus humor crudus muſculis & articulis conceptus gignit. In organo cauſa eſt affectionis, E. G. in lingua eſt tuberculum, de quo intelligendus eſt locus Hipp. 7 *de morb. ſi tuberculum ſub lingua hypogloßis appellatum fiat, &c.* Dico tuberculum eſſe cauſam impeditę deglutitionis. nam etſi tuberculum morbus ſit in aucta magnitudine; tamen quatenus refertur ad officium deglutitionis, cauſa ipſius cōtinens dici poteſt: & licet deglutitio non ſit propria actiò linguæ, ad eam tamen aliquem vſum confert. Cauſa in vſu alterato eſt E, G. intemperies calida, & ſicca cerebri cum materia, quæ manifeſtationem phantaſmatum deprauat, cum eà ægrotum loqui inducit, quæ ſunt a ratione aliena, & ſtulta; de qua intelligi debet locus de *vict. acut.* vbi ait: *Cum febrientis lingua quarto*

die

die turbata loquitur, venterque liquida biliosa deiecit, talis delirare consueuit; *id est*, intemperies calida, & ſicca cerebri, quæ delirium facit, eſt cauſa, quæ conceptuum declarationem vitiat, quia eam vitioſam facit, dum perturbatæ & inordinatæ ſermocinationis cauſa eſt. Attexenda his ſunt ea, quæ ſcripſit Hipp. *lib. præcep.* dum reddit rationem obſcuritatis linguæ non ſatis claræ. ait enim. *Obſcuritas linguæ non ſatis claræ fit, aut propter affectionem, aut propter aures, ita vt, priusquam priora enunciauerit, alia adijciat; aut priuſquam id, quod mente concepit, dicat, alia inſuper cogitet, & quæ quidem citra affectionem notabilem appellatur, contingit linguæ obſcuritas his maxime, qui artis ſtudio tenentur*. Id eſt tres cauſæ ſunt obſcuritatis linguæ, vt id quod dicitur non ſatis aperte intelligatur: aut morbus aliquis ipſius linguæ, E. G decisio partis eius, alia eſt ſurditas, aut vitioſa auditio, per quam, anteequam exaudiat poſteriora verborum prolatorum, adicijt alia & ſic, non finita periodo naſcitur alia alterius periodi, & ita ſermonem obſcurum facit, & non intelligibilem tertia cauſa eſt, cum quid cerebrum occupat, quod finem locutionis deprauat, vt multitudo phantaſmatum, quæ ſolet perturbare illum, qui alicui arti operam nauat. & morbus aliquis cerebri, vt intemperies calida & ſicca, humida &

frigida

frigida, & humores etiam omnibus intemperaturis accumulati.

Causas signorum linguæ alias eße in cerebro, alias in corde, alias in hepate, alias in pulmone, alias in ventriculo, alias in ipsa Lingua, aliam esse ipsammet linguam, alias esse in horum plurimis.

Et primo de causis, quæ sunt in cerebro.

CAPVT II.

OMnis causa signorum, quæ apparent in lingua, si continens sit, quæ vsum manifestationis passionum animi lædat, vel est in cerebro, aut per essentiam, aut per consensum, vt est membrum quoddam princeps, & instrumentale, quippe in eo est principium facultatis motricis, quæ linguam ad locutionem, & ad masticationem, & deglutitionem; & sensitricis, quæ ad sensum gustus, & tactus mouet, est etiam principium comprehendendi, componendi, diuidē-di, ratiocinandi, & imaginandi, & memorandi, & deni-

& denique internam orationem formandi, quę demissa per neruos ſenſorios in linguam & laringem in rima eius voce & ſono veſtiri incipit; in lingua vero articulato ſono & ſignificatiuo indui. In cerebro igitur, vbi fuerit intemperies aliqua aut calida, & ſicca; aut calida, & humida; aut frigida, & humida; aut cum materia, aut ſine materia; aut tumor aliquis, aut obſtructio, aut ſoluta vnitas, læditur penes aliquem vſum orationis, quia eſt declaratio conceptuum animi; vnde aut nullo modo, aut diminute, aut deprauate notificat animi cogitata ſui: nullo modo denotat in apoplexia, & epilepſia; diminute valde in lethargo, & comate ſomnolento, & in ea deſipientia, in qua interciſe æger loquitur, deprauate in phrenitidie melancholia, & in comate vigili; ſiue ſit ille, qui piger eſt; ſiue ille, in quo promptiſſime excitantur ęgroti: & in mania, ſiue furore, & denique in omnibus deſipientiis. Eſt etiam cauſa locutioinis imbecillæ debilitas virtutis ſermocinatricis, quę eſt in cerebro, & ab eo in lingua, & facit gloſſam acratim id eſt, linguam impotentem, & valde debilem ad ſermocinationem.

De

De causis signorum Linguæ, quæ sunt in Corde.

CAPVT III.

FEBREM putridam & acutam esse passionem primitus cordis, deinde totius ductus arteriarum & venarum, receptissimum est fere apud omnes Medicos; quibus etiam compertum est cor per febrem poni in calefacto esse, & ipso exsiccari, cum vtramque qualitatem inuehat in ea corpora, quæ febrem recipiunt. A cordis extraneo & febrili calore statim arteriæ & venæ calescunt, & siccantur maiores, mediocres, & minimæ; & denique illæ, quæ ad alimentum, vel temperamentum linguæ intextæ sunt: quibus calefactis, & exsiccatis, necesse est linguam exugi, & siccam fieri; ita vt ariditas arteriarum, & venarum, sit causa ariditatis linguæ; idcirco Hippoc. *de vict. rat. in morb. acut. com.* 1. ait: *Morbi sicci tum arteriarum, tum venarum dignoscuntur lingua siccitate, & ea, quæ totum corpus occupat ariditate.* Id ipsum paulo diuersis verbis confirmat libr. *de*

Ptis. circa finem cum ait: *Quæ in venis & arterijs contingunt ariditates, hæ tum lingua, tum externo colore conspicuæ sunt.* Hoc est linguæ, & totius ariditates sunt effectus earum siccitatum, quæ prius venas, & arterias occupauerunt, adde & cor, nam affectiones partium à principibus enatarum, pendent ab ijs membris quæ principii rationem habent; presertim si pars locetur prope, & super membrum princeps, vt lingua super laringem, asperam arteriam, pulmonem, & cor posita est. Syncope etiam, & Lipothymia qui sunt affectus cordis, sunt causæ amissionis vocis, cum spiritus & calor vitalis cum violentia accumulatur in corde, ob externum errorem; quare depauperato cerebro, & compatiente, virtus motrix ad linguam non demittitur, & ita motu & locutione priuatur.

De causis signorum Linguæ, quæ sunt in pulmone.

CAPVT IIII.

PVlmonis affectus esse in causa, vt lingua exeratur, id est foras producatur, non vno loco docet Hipp. nam 2. *de morb.* loquens de repletione pulmonis, hæc habet: *Si pulmo repletus fuerit, tussis tenet, & erectæ ceruicis spiratio, & anhelatio, & linguam exerit.* In repletione pulmonis, à quacunque materia, æger linguam exerere cogitur, vt plurimum aerem, & frigidiorem attrahat. nam humor impactus pulmonis bronchijs, aut quoquo modocumque imbibitus, ita comprimit illum vt non permittat eleuari ad eam distantiam, vt parem refrigerandi cordis indigentiæ aerem attrahat; quare quod deest, linguæ exertione, per quam maior aeris vis trahitur, supplere conatur. Et pulmonis affectus, qui *peripneumonia* dicitur, qualem linguam redddat, docet Hipp 2. *de morb.* dũ ait: *Peripneumonia talia facit. Febre acuta tenet, & spiritũ frequenter, ac validũ respirat, & anxietas adest & impotentia, &*

iactatio & dolor sub scapulis, ad clauiculam, & mammam, & grauitas in pectore, quandoque etiam delirat, quod dolorem non sentiat, donec tussire incipiat: verum hic morbus diuturnior, & difficilior illo est: Saliuam tenuem, spumosam primum spuit, lingua flaua est, verum progressu temporis nigrescit, &c. Omisit linguæ extertionem, quæ prætermittenda non videbatur, quamque non omittit, dum *libr. 3 de morb.* loquitur de tumente præ calore, ait enim: *cum pulmo tumescit nimio calore repletus, tussis tenet fortis, & dura, & recta ceruicis spiratio, & aceruatim respirat, & frequenter anhelat, & intumescit, nares pandit, vt equus in cursu, & linguam frequenter exerit.* Linguæ etiam nigrioris causa aliquando est in pulmone, vt 10. *de præsag. ex pul.* docet Galen. quamquam, vt inde liquet, non fit à pulmone inflammato nigrities in principio, sed cum progrediente morbo.

De

De Causis, quæ sunt in ventri- culo.

CAPVT V.

MVLTAE humiditatis, quæ in lingua est, causa existit abundans ventriculi humor, vt 6. *Aph.* 32 docet Gal. *lingua vero admodum humida existente, & ventriculum talem par est esse, vt alteram tunicam communem habeat ad linguam.* & Com. 5. 6. Epid. *Sed cum in ventriculo eiusmodi aliquid continebitur, aut multo calore fundente, atque in spiritus humores vertente, in sublime halitus ferentur.* his enim ostendit colorum, qui sunt in lingua, causam esse copiam humoris, qui est in ventriculo, siue humor per se ascendat ab eo in linguam, siue halitus, calore agitãte, sublatus ab eo linguam inficiat. Neque quicquam obstat sententia Auicennæ, quam supra adduximus, affirmantis: difficile est complexionem stomachi ex colore linguæ cognoscere. nam aliud est dicere causam colorum linguæ contineri sæpenumero in ventriculo, ob humores, quos ipse re-

dundantes capit; aliud, temperiem stomachi nasci ex coloribus linguæ. nam multoties bilis flaua, seu amara ab hepate in ventriculum regurgitat in ijs, qui picrocholi superna parte purgantur, qui humor cum suo colore communicatus linguæ, nō arguit stomachi, sed hepatis intemperiem. Hos autem biliosos appellat Hipp. *lib. de vict. rat. in acutis*, πικροχόλους ἄνω καὶ κάτω, hoc est, *biliosos supra, & infra.* Hi bilem vomunt perpetuo refluente sursum bile, illi biliosa multa deijciunt.

De causis colorum linguæ.

CAPVT VI.

VNICA est, & ea quidem proxima linguæ colorum causa, nempe humorum color, aut vaporis, cuius varietas, non vno modo, colorum linguæ varietatem parit. nam aut humor cum suo colore permixtus sanguini, ob errorem assimilatricis singularum partium non redditur illi concolor, vt in leuce, pituita alba maculis albis inficit cutem, quia sanguis pituitosus haud assimilari potuit cretoso, secundū colorem, vt etiam in ictero flauo, & nigro euenire solet: & hoc

modo

modo linguam verſicolorem fieri vſu ipſo noui. Quamquam & hoc modo vario colore tingi non eſt negandum. nam ſicut cutis externa, dũ nutritur ſanguine, aut bilioſo, aut pituitoſo, aut melancholico magis quam par eſt, nec planè nutriendæ parti aſsimilari poteſt à coctrice illius, cur & in lingua quandoque id nõ accidat? præſertim cum id videatur innuere Ariſt. *ſec. probl.* 34. cum quærit, cur lingua tot coloribus euariet, quot cutis? nam quæſtio potiſsimum intelligi debet, vt lingua colore tingatur eodẽ modo, quo cutis, ſi par ratio debet eſſe vtriuſq; particulę. Alio modo adſciccitur linguę color, cum per influxum humor à parte in partẽ impellitur, vt in linguæ tumore phlegmonoſo cũ ſanguine, qui partem præter naturam tumefacit; apponitur etiam rubor, & hoc modo linguam coloratam non raro videre licet. Frequẽtius, & tertio modo colore imbuitur lingua, cum humor extrinſecus adueniens, vel à ventriculo, vel capite pituita illi, tanquam parieti diluta calx allinitur; aut in vaporem reſolutus eam tingit, vt fumus caminum. Denique aut è venis & arterijs linguę ipſius exſudat humor tenuis, qui ſuo colore linguam maculat; vt ſæpe ſanguis è venis effluens cutim rubefacit. Nec quis facilè alios colorationis cutis & linguæ modos afferre poteſt, niſi addat eos, qui

vel cibo, & potione, & medicamentis efficiuntur.

De causa inappetentiæ poculenti, in febre vrente, cum summa Linguæ ariditate

CAPVT VII.

Docet nos Galen. 3. *Epid. com.* 1. interitum facultatis vitalis, id est, naturalis, qua humida appetimus (interdum enim Galen. per vitalem facultatem non intelligit eam quæ à naturali & animali distinguitur, sed quamcumque quæ quomodolibet ad vitam pertinet) causam esse, vt perurente febre laborans, in multa linguæ siccitate potionem non appetat, neque eam exquirat; quod maxime lethale signum habendum est. emoritur autem hæc facultas non solum in lingua, & ventriculi ore, in quibus inhabitat, sed etiam in hepate, qui fons est totius appetitionis, quod ad esculenta, & poculenta; est enim in œconomia membrorum, animæ naturali deseruientium, tamquam Rex quidam. Perit etiam in cerebro quatenus appetentia quædam animalis ab eo

in

in ventriculum, & linguam descendit per neruos. Est & altera causa, quæ sumitur à mentis alienatione; nam cum quis mente laborat, indigentiam non sentit eiusmodi, quod tam ingentem siccitatem emendare potest; Qua causa præsente frustra suspicamur primum adesse; qua vero absente rationaliter de facultatis extinctione dubitamus. Commeminit & Gal. *cit. loco* tertiæ causæ inappetentiæ potionis, quæ est cumulatio prauorum humorum, & aliena qualitate affectorum, in ipso ore ventriculi. Sed quis obiiciet; Si lingua vrente febre apprehensi summam siccitatem, per vim tactricem nondum emorientem, percipit, cur etiam humoris indigentiam non intelligit? Quod si dicas tactricem vim viuere pereunte appetentia potionis; non videtur verum, quia non est maior ratio vnius quam alterius, ita vt extincta vna sensitrice, & altera extingui debeat; viuente vna, altera viuere. Dicendum est, insignem siccitatem linguæ febrientis intelligi optime à Medico, qui, cum non respondeat siccitati sensus in ægroto, nec quo ad cognitionem, nec quo ad appetitum, conijciat de facultatis extinctione; quoniam re ipsa emori ostendit inappetentia potionis humidæ, in tam adurẽti febrili calore; proxime vero accedere ad interitum, demonstrat sitis non æqualis tan

 tæsic-

tæ ſiccitati, ſed aliquanto minor quam ratio febrilis vſtionis expoſceret.

De cauſis exſiccationis & inſuauitatis Linguæ poſt ſuperatam febrem.

CAPVT VIII.

ACCIDIT interdum, vt finita febre, aliqua ſitis & exſiccatio oris, cum inſuauitate quadam, remaneant; quæ maiorem nobis parere admirationem debent, quam ſi præſente febre hæc fierent; illa enim ſolet eiuſmodi ſymptomata parere per propriã naturam; illa vero abeunte, quid hæc inducat ambiguũ eſſet, niſi hoc nobis aperuiſſet Hipp. 6. *Epid. com.* 2. cum ait: *ſitis intus relicta, & oris exſiccatio, & inſuauitas, & inappetentia eadem modo* Quæ pręclare explicans Gal. *in com.* ait: *Qtando finita febre aliqua ſymptomata remanent, aliquid intus relinqui morbi reliquiarum dicitur.* Hipp. igitur eorum exempli gratia meminit, quæ intus remanentia principatum obtinent, ſitis videlicet, & oris ſiccitas, & triſtis ſenſus, & inappetentia. Quare eiuſmodj ſermo id

quod

quod in antecedente comprӕhensum est enucleat, vbi aiebat: & *si quid ex effusis intus relinquitur.* Bifariam intus relinqui intelligimus; vno quidem modo humorem morbi auctorem; altero morbosum affectum: nunc autem morbosi affectus intus relicti signa persequitur. Ex quibus posterioribus verbis colligimus causas exsiccationis, & insuauitatis linguӕ, post finitam febrem, scilicet, aut humorem febriferum relictum, nec dum euacuatum, aut qualitatem calidam, & siccam sine materia, quę à febre inducta est, quӕque ea disparente, relinquitur, in quibusdam partium solidarum. Hinc omnes Medici, qui nos doctrinam & curationem febrium docent, iubent, vt ab extincta febre, vsurpemus medicamenta alterantia, frigida, & humida, ad edomandam nempe hanc relictam intemperiem.

De causis balbutiei Linguæ melancholicorum.

CAPVT VIIII.

VAriç videntur esse causę balbutiei melancholicorum. nam & linguæ breuitas, quæ anteriores dentes premere non potest, ad quos collisus spiritus in vocẽ resultat; aut arriditas ipsius; aut largus cerebri humor; aut imbecillitas caloris musculorum linguę formatoris, calore cerebri multo, prę velocitate imaginandi, linguam impediente, aut flatu, cuius copia abundant melancholici, velociter vehementerque impellente linguam. quod autem velociter mouetur facile impingit, & incurrit.

LIBER QVINTVS.

De præsagio à Lingua sumendo.

CAPVT I.

NVllam esse celsiorem & diuiniorem Medicę partem, quam ea, quæ futura prænoscere docet, præterquam quod Gal. pluries nos docuit, id etiam liquido demonstrat, quod idem olim numen quod medicinæ est, vaticinij putatur esse Apollo. Quasi tota vis, & summa medicinæ in vaticinio, hoc est, præsagio de futuro morbi euentu consistat. Quæ medicinæ pars, more humanarum rerum, quo præstantior est, eo captu est, tum quoad notitiam, tum quoad exercitationem, difficilior; quam idcirco, prout est nostræ ætatis amplissimus auaritiæ dominatus, paucissimi medicorum consequuntur, hinc in prædicendo de futuro morbi euentu, aut Cretensibus inueniuntur mendaciores, aut hac de re ne verbum quidem, quod certum quid polli-

polliceatur mussitare audent; aut, si quādo do-
mesticorum lacessiti interrogationibus, cō-
guntur aliquid effari, ad illam sacram ancoram
confugiunt, vt omnes morbos acutos, dum-
modo lippis & tonsoribus salubres etiam non
sint, periculosos esse, & mortales affirment; eo
consilio, ne dicam dolo, vt si æger euaserit à
morbo, cuius naturam ipsi ignorant, sua opera
perquam egregia euasisse iactitent; si pereat,
sua ipsorum culpa, vt pote iam antea prædi-
centium, non periisse, cum interim tam inde-
corum & turpe Medico sit morbos salubres,
periculosos & lethales facere, quam lethalissi-
mos, salubres & securos, cum eadem ignoran-
tiæ culpa peccet. Cæterum iam hæ technæ, &
fallendi artes callidioribus ex populo innotu-
erunt, & tanti eas faciunt, quanti circulato-
rum impudentissima mendacia: dum vno lini-
mento innumeros eosdemq; contrarios mor-
bos curatum iri pollicentur. Quotusquisque
nostrorum medicorum est, qui præcognito tē-
pore, quo futurus est morbo status, ad eum to-
tam victus rationem dirigat? quo non intelle-
cto, necesse est ægro perniciem afferri ab ma-
lè instituta victus forma. nusquam enim audi-
as Medicos inter se consulentes, hæc febris ad
septimam, aut nonam, aut vndecimam habitu-
ra est suum vigorem; sed omni destituti præ-
sagio

ſagio eorum quæ ſubinde euentura ſunt, ſatis habent, ſi iam emergentibus ſymptomatis occurrant, ſimiles malis bellicis imperatoribus, qui hoſtium impreſſionibus obſiſtere tentant: quid vero illi conaturi ſint, nunquam animo præconcipiunt. Vbi igitur ſymptomata enaſcuntur, vt ſemellis morigeri blandiantur, puta matri, aut vxori, ſi aut filius, aut maritus ægrotarint, remedia præſcribũt, nullo facto diſcrimine, an illa ſint criſicę agitationis, & indicatoria accidentia, quæ ſæpe medicamento cohibita, damnum ingens, & interdum perniciem, afferre poſſunt. Quid turpius Medico accidere poteſt, quam, dum morbus properat ad vigorem, atque ideo ſymptomata augẽtur (eſt enim morbi illa vehementiſsima pars, ægerque ægrius ſpirat, magiſque anxius, & interdum delirans eſt) ſimul cum mulierculis & imperito vulgo terreri, putareque morbum in deterius ire, & pericula creſcere, cum tamen hæc ſit illius temporis natura, ab imperito Medico non agnita? Quare age generoſe Medice, & Hippocratica doctrina digne, & exurgito ex hoc inſcitiæ & ignauiæ ludo, & in adipiſcẽda notitia præſagiorũ quam tanto ſtu. ab Hippoc. & Gal, cultam, vulgus medicorum aſpernatur, omni conatu deſuda. Et quamquam prognoſis, ex Hippoc, & Gal. ſententia, ſæpius repetita, non ſolum futurorum

præſci-

præſcientiam, ſed præſentiam reſpiciat, atque ita à nobis ſumenda ſit, dum de prænotione haurienda à ſignis linguæ loquimur, tamen, quoniam de ſignis, vt præſentem affectum oſtendunt 3. *lib.* ſatis ſuperque egimus, accipiemus ſolum eam nunc, vt futurorum præuidentiam dicit; ne nugatoria, & moleſta eorumdem repetitio contingat.

Ex quibus pendeat mors, & ſalus in ægrotantibus.

CAPVT II.

DVo ſunt, quaſi duces exercitus inter ſe aduerſi; quorum alter alterius perniciem quærit, Natura, & Morbus: hic quidem inſurgens in naturam, eam totis viribus oppugnat, vt deuaſtet & perdat; & in hac oppugnatione vtitur miniſterio ſuorum militum, nempe acie cauſarum, ſymptomatum, & pathematum. Contra Natura, vt ſe ſuoſque tueatur, omni contentione enititur, vtiturque in hac defenſione præſidio facultatum, ſpirituum, & membrorum, quibus morbi inſultibus

reſiſtit,

resistit. Ex quibus cuicumque liquido constat, naturam corporis partes robustis facultatibus munitas habentem, difficili negotio, morbo esse superandam; ipsamque contra debilioribus partium viribus instructam, facile cessuram & collapsuram. Colligamus igitur, ab his salutis atque mortis futuræ pręcognoscendæ iudicium, à duorum tantum, Morbi inquam, & Naturæ colluctantium obseruatione pendere: quod Galenus perbelle expresit *lib. de art. const.* Medicus quippe his duobus, Morbo, inquam, & Naturæ, quasi colluctantibus animum semper intendit, atque dum discernit, vtrum horum robustius sit, primum quidem suum de salute hominis, aut interitu præsagium depromit: deinde vero quantum alterum altero fortius esse nouit, eo citius, illius præfinitum tempus agnoscit: nec mirari quisquam debet, si quis robur vtriusque perpendens victurum tandem deprehendat: quum videamus, quamplures gymnastas in primis statim motionibus quibus contra se luctantes feruntur, victoriam quasi prænunciare, & sępe ante partam victoriam, quodque celerrime aduersarius succumbet: hoc autem agunt cum viderint alterum altero non parum validiorem Quare ex alia nulla exercitatione salutem, aut interitum prænoscet, præterquam

ex exacta virium, tum Morbi, tum Naturæ notitia, ex qua etiam vtriusque præfinitum tempus exquirit. Vt enim celerrime soluendus est morbus, quum validiores vires fuerint; ita cito mors aduentabit, si hæ imbecilles sint, morbus vero fortior. Quantum vero morbus naturam superet, vel contrà naturà morbum, ex signis concoctionis & cruditatis præmonstratur: bonæ enim coctionis signum naturam prȩualere, cruditatis vero, morbum. hæc autem habentur ex ipsis incrementis, quæ in lingua apparent. nam si, verbi gratia, antea in lingua ex flauo vel pallido colore bilem flauam vel pallidam inesse iudicamus, vel ex albedine pituitam, his disparentibus coloribus, & ad suum redeunte lingua, prȩsagimus iam coctis humoribus salutem aduentare, Idcirco dicebat Hippoc. *in Coac*. linguam circa bifidam sui partem velut saliua alba obduci, febris remissionis signum esse; si tenuius, postridie; si vero adhuc tenuius, eadem die. hoc est, albedo quæ per totam linguæ planitiem extenditur ab ipsa pituita, si ea diminuatur, vt solum circa bifidam sui partem, id est, circa lineam eam per medium diuidentem appareat, signum est iam pituitam concoqui, & in aliam formam transmutari, proinde febrem, quȩ ab illo humore pendebat ad declinationem properare.

perare. Idem iudicium ferendum eſt ſi circa marginales linguæ partes ſolum ſe iſta pituita oſtentarit, cum prius totam eius latitudinem occupaſſet, dicente eodem loco Hipp. *eadem ſignificat etiam huiuſmodi, ſi circa ſummam linguam fiant, verum minus.* Ideſt ſi circa oras linguæ extremas (id enim ſignificat hoc loco *lingua ſumma*) Quod dicimus de linguæ albedine à pituita, idem intelligendum de flauitie, pallore, nigredine, rubore, pendentibus à ſuis humoribus, vbi enim hi colores euaneſcunt, argumentum præbent ſuccos per coctionem in aliam ſpeciem mutari. ſicut enim vrinas, vel albidas, vel flauas, vel pallidas, vel fuſcas mutari ad ſpiceum colorem, ſignum eſt ſuccos à quibus in colores hauriuntur in benignos concoqui; ita de linguæ coloribus pronunciandum eſt vbi in natiuum & proprium tranſmutantur.

Quomodo animalis virtutis imbecillitas, vel robur ex Lingua cognoſcatur.

CAPVT III.

Linguam in acutis morbis ſępe fieri tremulam oſtenſum eſt ſupra, pleriſque Hippoc. locis productis. eſt autem Tremor ſymptoma quoddam facultatis motricis corum membrorum, quæ muſculis munita motu mouentur arbitrario, cum facta eſt impar ad mouendum membrum. debilitata enim ob vitium, vel diminutionem ſpirituum animalium, non ita valenter illud ſuſtinet, quin propria grauitate, & pondere, quæ ei ab elemento terreo competit, delatum concidat; quod dum virtus eleuare contendit, committitur motus ille tremulus, qui conſtat ex concidentia membri muſculoſi, ob ſuam grauitatem, & elatione virtutis imperfecta, ob ſui debilitatem Quem motum translationis appellat. *cap.* 8. *lib.* 1. *de mot. muſ.* dum vtitur verbo illo μεταφέρονται, quod eſt, *transferuntur*. Quare linguæ virtus motrix debilis, eamdem in cerebro debilitatam eſſe oſtendit, vtrum

autem

autem ita langueat, vt morbo ſuccumbat, non ſatis ſuperque ex eius tremore conficitur. Anaudia etiam, id eſt, priuatio ſermonis, cuius lingua eſt proprium organum, adhuc maiorem gradum debilitatis potentiæ motricis denotat, cum maius vitium ſit nullus ſermo, quam praua linguæ motio. Anaudia mitius eſt aliquantum illud vitium, quo lingua Hipp. *Acratis gloſſa* dicitur, hoc eſt, *incontinens*, & vt doctiſſimi viri interpretantur, *quæ impotentiam quamdam habet ad loquendum*. Ex tremore igitur anaudia, & impotētia ad ſermocinium niſi adſint ſigna perpetuæ cruditatis mors præſagiri non poteſt. Contra promptitudo ad loquendum, conſuetus ſermo, & firmitas linguæ ad motum, ſi adſint ſigna coctionis, certam ſalutem prædicunt.

Quid portendat ſumma Linguæ ſiccitas cum ſitis extinctione.

CAPVT IIII.

Cum delirium non adeſt, quo tollitur ſenſus inſtantis moleſtiæ à ſiti, certo prædicere poſſumus mortem eſſe in foribus, quam nobis præmonſtrat facultatis

appetipotæ interitus, qui pẽdet à calore & ſicci-
tate febrili exurientibus temperamentum, in
quo poculenti appetens vis conſiſtit. Quod ſi
adſit, vt dixi mentis aberratio, non eſt ampli-
us hæc cauſa neceſſaria: nec repugnat delirium
& extinctionem huius virtutis cooriri, cum
valida imtemperies calida, & ſicca, & deliri-
um concitare, & ſitiendi vim interimere
poſſit. Idem præſagium eſt appro-
pinquantis mortis ſi ſiccitati
linguæ iungatur frigi-
ditas, ob extin-
ctionem inna-
ti calidi &
humi-
di.

FINIS